PAPATVS,

SEV DEPRAVATAE RE-LIGIONIS ORIGO ET INCREMENTVM.

*SVMMA FIDE DILIGEN-*TIAQVE E GENTILITATIS SVÆ *FONTIBVS ERVTA: VT FERE NI-*hil sit in hoc genus cultu, quod non sit *promptum, ex hiſce, meis reddere ſuis au*thoribus: Vt reſtitutæ Evangelicæ Religionis, quam profitemur, ſimplicitas, ſucis amotis, ſuam aliquando integritatem apud omnes teſtatam faciat

Per THOMAM MORESINVM

ABERDONANVM, Do-*ctorem Medicum.*

EDINBVRGI

EXCVDEBAT ROBERTVS *Walde-graue Typographus Regius*

Anno M.D.XCIIII.

Cum Privilegio Regali.

28,29,01

SERENISSIMO, IN. VICTISSIMO QVE REGI SCOTORVM, IACOBO SEXTO. S.

NAti ſumus poſt Deum, Patriæ, parentibus, & denique nobis. Tu, (Rex inviciſſime) communis parens, cui quæ divino, quæ humano iure debentur, pro officio offerre, vt tenemur omnes ſubditi, ita, quod in me eſt, lubens volensq; offero: conſulturus patriæ, dum M. T. *conſulo: mihi deniq; placiturus, vbi me ſtivero regi meo gratum facere. Superiori anno Regi philoſopho de Metallorum cauſis & metamorphoſi integram dedi diſceptationem, ac pleniſſimam, ſi Typographus*

vixiſſet, aut hæres me conſuluiſſet: ſed cũ neutrum fata darent, meæ operæ qui ſucceſſit, iniquiùs conſuluit, meæ eſt diligentiæ ſatisfacere de me hominum expectationi, & illi rei plenè facere ſatis, vt facturus ſum. Iam mutato ſtilo ad Theoſophiam animum admoui, ne quis medicinæ filium, Philoſophiæq; prolem neſciat etiam ſupra tectum aliquid ſapere, idem enim Philoſophiæ Deus eſt & Theologiæ, & eadẽ veritas Philoſophica, quæ & Theologica. Et ex hoc Philoſophico medico chriſtianæmentis inſtinctu didici, vt mea opera ſit quam-plurimis vſui. Vſui autem eſſe poteſt alijs, ſi M. placuerit. Placebit autem tum propter lectionis varietatem, tum ſinceritatem. Sinceritas & mea eſt, & operis. Operis faciat pretium, qui volet, & pro dignitate. Mea quidem eſt ſinceritas, qui quot habet Europa penè principes, adierim nullius adhuc munificentia corruptus, ita me integrum Regi meo ſeruaui, cuius cum ſint, qui anhelent liberalitatem, præmia li-

cet

cèt habeant, meis continuis officijs ſi M. favorem aſſequor, factum eſt ſatis cogitationibus meis, & ſi ſit vita, ſinguli annì ſuum laborẽ induſtrium demonſtrabunt, &, vt puto qualẽ nullus noſtrorum hominum hactenus cogitarit: ita mihi ſufficio, ita Rege favente audeo de me promittere, qui ſolus & Mæcenas, & iudex eſſe poteſt, cum ita ſit orator, vt dictione ſua nihil ſit artificioſius: ita Poeta, vt certò appareat verſus non tam arte aſtrictos quam natura ſponte fuſos: denigq; quẽ quicquid mortalitas gloriæ, & honoris capere poteſt, implere poſſe putamus; ita viuidè maiorum in M. T. *relucent Regiæ dotes, animi magnitudo, liberalitas, & cæteræ, quæ Principem decent, virtutes. Poſtremò & hoc nomine commendatiſſimus es, quod mundo in veſpertinum vergente, & è cælo micantiſſima Chriſti luce affulgente, ſolus ſis monarcha, qui omnibus Papiſtarum profligatis ludibrijs, & falſis Deorum ſacris, veram ſequaris, ſuaq; incolumitati reſtitu-*

tam Religionem: at quia quem tenet M. T. *cultum, & tuetur, ſubditi quiq; non ita aſſequantur, quin aliquando ad deſitæ ſuperſtitionis ſcopulos impingant, cogitaui me reipublicæ Chriſtianæ conſulturum, & gratum concivibus meis facturum, ſi detectis impoſturæ cuniculis, & Papantium fraudibus, ante omnium oculos depoſuero, ex quibus Ethniciſmi fontibus ſuam deprompſerint ſuperſtitionem Papæ, quam pro vero Dei cultu nobis à multis retro ſeculis obtruſerint, vt reddita ſuis authoribus vanitatum illecebra, in poſterum ſubditi* M. T. *moniti ſequantur meliora, & ex erroribus Papiſmi, colligant veritatem ſapientia duce, quæ de omni malo nouit elicere bonum, & obliqua omnia adaptare in rectum vſum, ſic Auguſtini carpentario neceſſaria & opportuna ſunt inſtrumenta obliqua, & complicata, non minùs quam recta. Placeatq;* M. *hæc memori mente collegiſſe: exotica monſtra narro, fateor, nec fortè etiam ſatis ſubditis tuis cognita*

peri-

pericula, ſed tamen cum illis tuo diademati continuam fabricam minitantia: facie ego Papanorum cogitaui, & conſilia, vt exploratè ad te ſcriberem. Emittunt, ſatis ſum conſcius, fabuloſi Franciſcani, humigradi Brunani, Chimerici Sorboniſtæ, denique infames Suiſtæ, extra controuerſiæ omnem aleam primi hypocritæ, orbiſq; nequitiæ primariæ, ſuos ſatellites in opus, quos Regis erit ſua regione alterna opera auertere, expendereque ſcelerum pœnas iubere ac propiùs acceſſerint: ne te ſinas hac in parte phaleratis impiorum homuncionũ cuiuſcunq; tandem ordinis, duci ſermonibus, ſed expete ius diuinum expiabili actione, qui æterni Patris miſericordia alexicaci vera Chriſti cognitione ſis nobilitatus, quem, edictum ſummi Dei, regium conſtituit Eccleſiæ ſua tutorem & alumnum, habent tibi benè principia, lætos anhelantia exitus: te varijs cœlum donis ſupra alios reges ſynchronos oruaniſſe, teſtatur omnis Europa, ſed condienda ſunt continua ver-

bi diuini ſalſilagine, ne irrita euaneſcant ad inſtar cogitationum humanarum, in fabulis enim ſunt & prouui & genus, & quæ nos ipſi fecimus, niſi facilitate hac leniantur. Et is eſt M. *ſcio animus, ut exulcerare gratiam illi creditam nollet, nec receptis licet erroribus fidem adhibere, nec impudenti temporis præſcriptioni in re fidei facere ſatis: quin contrà, mentes ad Eccleſiæ vilitatem, tanquam normam ſanctiorem reuocare. Sed hæc, & quæ ſunt alia huius generis omnia, liber iſte expediet, qui in fidem amicitiamq; tuam receptus, poſſit ſub tutela* Majeſt. *ac Teucer ſub clypeo Aiacis ſartus tectus à Sycophantarum contumelijs, exire in publicum. Deum Opt. Max. interea precor te pulcherrimè floreſcentem ad ſummam Scotiæ gloriam (cuius ſalus ſita eſt in tua probitate ac ſapientia) diutiſſimè conſeruare, vt glorioſiſſimi deſiderij exſpectationem, quam apud omnes de te commouiſti, explere poſſis ſupra famam, facere ſatis donis quibus te Deus ornauit*

in

in Filij sui cognitione, vt cui præfecit operæ, repetat è tuis manibus inviolatam, cum vsura: Ad nominis sui gloriam, Evangelici regni propagationem, & non moriturum tuum decus. Vale. Edinburgi, 5. Februarij. 1593.

Vestræ Majest. addictissimus

Johannes Willoughby.

THOMAS MORESINVS
Aberdonnus Doct.
Med.

Johannes Willoughby.

Johannes Willoughby

Iwannus Gnobe

יוחנן-כלבי:

יוֹחָנָן - וּרוֹבִי:

LECTORI.

CVM priorum Imperatorum præ ſævitia non eſſet integrum divinitatis præconibus ſua obire publicè munera, creditamque ſuæ curæ Bibliorum adminiſtrationem latiùs diffundere, pij viri reddere acceptam Domino vitam certi, Martyrio ſunt confecti, donec flacceſcẽte tempeſtate, in re Chriſtiana audaciores conatus promouere non dubitarent proximi, in tantum vt gentilium ſectam opibus & numero in vrbe Roma æquantes, quærerent quotidiè varijs modis eã peſſum dare, eòque ventum eſt, vt aram in Curia veteri, vbi nunc S. Petri ad vincula celebre eſt templum, quæ Gentiliũ ſuperſtitionis erat, ſuo cultui dedicare vi tentarent, Valentinianique imperantis bona cum venia, Symmacho prefecto vrbis fruſtrà reclamante, ſacrarent, haberentque. Sed cùm ne ſic quidem diſſerenaret prorſus, leonis exuvio placuit vulpinum

pinum assuere, & quam Religionem intemeratam insinuare hominum pectoribus verbi præconio nequiuissent posteri, (quos statim, cum defectionis serie audies) eam fucis gentium oblitam offerre & studuerunt, & fecerunt: vt delinitis animis, & fascinatis oculis hisce præstigijs crederent, ceremonia veteri obseruata, in re nihil mutari. Et hos ritus omnes nos seruamus, sed haud scio an tam rectè quam bellè illud fiat: vereor, inquam vereor, ne ijs in rebus Dijs potiùs gentium, quam Christo nos gratum faciamus. Quare cum nos Dei Apostolos habeamus Religionis authores, qui nihil quicquam suo arbitratu, quod introducerent, elegerunt, optaueruntq; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter gentibus tradiderunt. Hinc factum, vt nobis nihil pro nostro jure eligere vel introducere licuerit. Nec tamen primo impetu Christianismus his antiquata est sordibus, sed suis sæculis & temporibus: hoc tamen constat, rude semel donatos Papanos in rebus fortasse aliquibus tolerandis, tantos esse ausos induere spiritus, vt omnia quæ in animum fluctuantē

inci-

inciderent,(ſi modo bonæ,vt vocant,inniterentur intentioni) pro veris catholicisq; placitis ſubſtituere non formidarent: imò alia Bibliorum veritati æquare alia impudentiùs præferre, vt legenti iſthæc mea videre eſt integrum. Et eo tandem res euaſit, vt tota ſalus è ſcrinio pectoris etiam iniquiſſimi, Athei, aut Magi Papæ, repetenda fuerit: & hoc clypeo tecti, præſules Romani, non ſolùm ſe omni lege ſolutos dixêre, ſed & etiam Dominos dominantium, qui jus regis regũ habeant in ſuos ſubditos, qui pro imperio poſsint mutare quadrata rotundis, cum ſint omnia, & ſuper omnia, ſupra jus & extra jus, in quorum pectoribus omnis ineſt ſufficientia, licet ignaris & inſufficientibus, imò, qui ſoli poſsint æquitatem (vt appellant) non ſcriptam, ex ſui interpretatione juri præferre ſcripto: denique contra Apoſtolum diſpenſare. Quibus autem rationibus ad hoc faſtigij euaſerint, conceptis verbis ſecũdum noſtram interpretationem ita narrat Machiavellus. Theodoricus rex Gothorum cum regnaret Ravennæ, & non erat qui præeſſet Romæ, Romani Epiſcopum ſu-

Gloſ. ad Sex lib. de renũ. tit. vij. lit. 1.
Lib. 1. decre Greg tit. 7. l. in quinto.
Ibid.
Ibid.
Gloſſa ad Six. lib de renunciat tit. vij. lit. 1.
L. de legi. & Concil. lib 1 Diſt. 34. can. lect in gloſſ.
Diſt. 82. can. presbyter.
Hiſt. Floren. lib. 1.

um cœpêre in dubijs consulere, & ejus judicium ferre. Hinc est Papæ quæsita authoritas præcipua, quæ alijs rationibus emergere nequiuisset, nisi Ecclesia Romana illam Ravennæ præcederet: Sed Longobardorum aduentus, & Italia partium facta, dedit Papæ occasionem proferendæ potestatis, & celebrioris nominis. Nam cum Romæ præesset rerum summæ, apud Imperatorem Constantinopolitanum & Longobardos, latè adeò famatum erat ejus nomen, vt Romani per eum pacificarent cum Longobardis, & Longino æquis conditionibus, ita vt Papæ nunc Longobardorum, nunc Græcorum amici, rem suam interea curarêt, & authoritati consulerent. At cum tępore Heraclij Imperatoris Sclavones, Persæ, Saraceni, deniq; Turcæ everterent Orientis imperium, & Papa nihil inde sperare posset auxilij, accurrit ad Francorum auxilium contra Lógobardos: hinc omnium posteà malorum irruptiones in Italiam, & Barbarorum, quos Papæ introducebant ad patriæ euersionem sequentes: ita crevit Papatus per Imperij ruinas ad Carolum vsque octavum, vbi videre

dere est Papas procedente æuo, per censuras Ecclesiasticas intermixtis armis & indulgentijs se timendos exhibuisse. Sed abutentes censuris, illas amiserunt, indulgentiæ remanserè, apud eos futuræ in precio, quibus se eis subijcere est in animo. Sed revertamur vnde digressi sumus Gregorius 3. cum sederet, & Astulphus Longobardorum rex pactis non staret, adit Papa Pipinum 2. Francorum regem qui suis armis debellat Longobardos, capit Ravennam sedem regiam, eamque dat Papæ cum frequenti vicinia, nolente Imperatore orientis. Intereà moritur Astulphus, & Desyderius Hetruriæ Rex illi succedit. Pipinus moritur, & Carolus filius cognomine Magnus init regnum. Theodorus 1. Papatum adit, & cũ Desyderius falleret promissa, implorat Papa Caroli arma, accedit, abducit captivos Desyderium & filios, & Romam veniens judicat Papam Dei Vicarium censuræ humanæ non esse subjectum. Hac in expeditione Carolus à Papa & Romanis dicitur Imperator, & repetit occiduos Imperatores Roma, & qui anteà solit sunt eligere Papas, nunc contrà à Papis im-

im perare jubentur: ita vt quantum accederet papæ, tantum Imperatoriæ Majestati decederet, & his artibus posteri omnem principatum sibi subjecêre. En quibus consilijs Pontifices Romani & sincerum Dei cultum evertunt, & sceptra omnia sibi subdunt. Verùm, quoniam ita parta tueri magni erat operis, & viderent leges quas Ethnicismus suis sacerdotibus & Pontificibus, præcipuè Romanis, præscripsisset; præclaræ esse authoritatis ad stabilitum triplex diadema firmiùs retinendum, has omnes civitate sua ecclesiastica donant papę, vt nihil sit, aut divini, aut humani, per omnem Papatus superstitionem, quod ex hoc nostro fœtu nó videas vnde sit petitum, ex quo ferè tempore in Ecclesiam irrepserit, & quibus authoribus. Et sanè parcendum est hic multis bonis viris qui ista scribere conati, non viderint, non legerint historiam & Poetas, sed Bibliorum cancellis melioribus cohibiti, quod potuerunt eruere, & in commune deponere voluerunt. Hancq; gratiam bene-meritis acceptam referimus, benevoloq; animo, & ab his nos adjutos fatemur. Bulingerus

li-

libro de origine cultus erronei, pauca & leviora dedit, vt qui alia à noſtro inſtituto tractet. Szegedinus in ſpeculo potiùs docet qui errorem in Eccleſiam introduxerint, quam vnde ipſum ſint mutuati. Polydorum Virgilium de rerum inventoribus rem inchoaſſe, viamque docuiſſe quam poſteri ingrederentur, ſatis conſtat, hanc acceptam ſi nos non abſolvimus, vt ſperamus, totam, habent illi tantum, qui Biblia curant, è penu ſuo quod hominis medici ſcriptis addant. Ego enim cum ſint majora mihi præ manibus, quæ ſine his intelligi commodè non queant, ſatis habeo lucem hanc neceſſariam meis præmittere, ne vacillent, aut offendat ad lapidem lector me duce. Poſtremò, vt hujus ætatis non pauci qui tranſitionem à fide reſtituta Evangelica fecerunt, intelligant quàm impudenter ad hos deſitæ ſuperſtitionis ſcopulos impegerint, & quam ineptè ſuas oſcitationes, fuerit Ieſuiſta, aut alterius ſectæ monachus cucullatus, illis in animum fraudis ignarum, compoſitis ad rem anilibus concionibus, intruſerint: vt cognita cauſa, & intellectis dolis, eo revertantur vnde

de digressi sunt, certò sibi persuadentes, ac apud veteres aër vrbis Romæ autumnalis erat infamis: ita nunc eam præ superstitione delirare, & quotquot illi adhærent: vt jure optimo nos Deo nostro Opt. Maximo, gratias & agere & referre debeamus, qui mentes nostras avias & cæcas, Evangelij sui lumine illustrare nostris temporibus dignatus sit, & è crassis Romanæ curiæ tenebris doctrina filij sui Iesu Christi cœlo asserere.

Authores ex quibus iſta ſunt deprompta

Æſchines.
Albertus Magnus.
Alcoranum.
Alexander ab Alexandro.
Alexander Aphrodiſæus.
Ambroſius.
Apollodorus.
Apuleius.
Ariſtoteles.
Arnobius.
Arrianus.
Arſenius.
Athenæus.
Aventinus.
Auguſtinus.

Baptiſta pius.
Baptiſta porta.
Biblia Sacra.
Blondus.
Bodinus.
Brodæus.
Buchananus.
Bulingerus.

Cabaliſtici.
Cælius Curio.
Cælius Rhodiginus.
Calepinus.
Capitolinus.
Chryſoſtomus.
Columella.
Concilia rum liber.
Cornelius Agrippa.
Corrozetus.
Cranzius.
Crinitus.
Cyprianus.
Cyrillus.

Demoſthenes.
Diodorus Siculus.
Dion hiſtoricus.
Dionyſius Halicarnaſſæus.
Donatus.
Dubravius.
Durandus.

Empedocles.
Ennius.
Epictetus.
Epitome ſignorum ſacrorum.
Eraſmus Roterodamus.
Euclides.
Epiphanius.
Euſebius.
Euſtathius.

Feſtus.
Flavius Vopiſcus.
Florus.
Fruterius.
Fulgentius placiades.

Gabriel Symeon.
Galenus.
Galeottus Martius.
Gangrenus.
Gaudentius Merula.
Gellius.
Gregorius Magnus.
Guichardus.
Gyraldus.

Hegeſippus.
Helius Spartianus.
Hermoldus.
Herodianus.
Herodotus.
Heſychius.
Hyeronimus.
Hiſtoria tripartita.
Homerus.
Horatius.
Hortulus animæ.
Hotomanus.
Hypocrates.

Iamblicus.
Iaſon.
Ignatius.
Ioannes Boemus Aubanus.
Ioannes Druſus.
Ioannes Tzetzius.
Ioſephus.
Iouius.
Iulius Cæſar.
Iulius Capitolinus.
Ius Canonicum.
Iuſtinus hiſtoricus.
Iuſtinus Martyr.
Iuvenalis.

Labeo Antiſtius.
Lactantius.
Lampridius.
Lavaretus.
Leanius.
Liber de ſacris ceremonijs Romanæ Eccleſiæ.
Livius.

Lon-

Authores ex quibus ista sunt deprompta.

Lombardus,
Lucanus,
Lucianus,
Lucretius,
Lysis Pythagoricus,

MAcrobius.
Malleus maleficorum.
Mancinellus,
Manilius.
Mantuanus.
Marianus Scotus,
Marcus Cato.
Martialis,
Martinus de Arles.
Marullus.
Menander.
Mercurius Trismegistus,
Michael Neander.
Minutius Felix.
Muretus.

NAucklerus.
Nonius Marcellus.

OLaus Gothus.
Origenes,
Osiander.
Ovidius.

PAracelsus.
Paulus Diaconus,
perottus,
Philo,
Pinetus.
Platina,
Plato,
plautus,
plinius,
plutarchus,
pogius,
pollux,
pollidorus Virgilius.
S. pomponius,
posidippus,
proclus,
propertius,
pscllus,
ptolomæus;

QVintus Curtius,

RAbanus.
Reynaldus Scotus,
Rhenanus.
Roffensis Episcopus

SAbellicus,
Salustius.
Saxo Grammaticus.
Scaliger pater.
Scaliger filius.
Scoliastes persij.
Seneca,
Servius.
Severus Sulpitius,
Sextus Aurelius Victor.
Sichardus,
Sigibertus.
Sigonius.
Socrates Ecclesiasticus.
Sophocles,
Sozomenus,
Strabo.
Suetonius,
Suidas,
Symmachus;
Szegedinus.

TAcitus.
Tecelius,
Terentius.
Tertullianus.
Theodoretus.
Theophylactus,
Thessalus Hypocratis filius,
Tibullus.
Trebatius.
Turnebus.
Turpinus.

VAirius.
Valerius Maximus.
Verrius Flaccus,
Vincentius,
Viretus.
Virgilius.
Vitaspatrum.
Vitruvius.
Vives.
Volaterranus,
Wyerus.

XEnophanes;

ZOroastes.

DE-

DEPRAVATÆ RELIGIO-
nis origo & incrementum.

ABolla externorum regum fertur vestis, sicut Romanorum trabea, magni tamen splendoris, qua raréter Romanos vsos invenimus: nam soli reges aut consules trabeati incessêre, tametsi militarem, nonnulli Senatorium amictum, abollam fuisse dicant. Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 5. cap. 8. Hinc illud Mantuani de sacrificulis suis. Lib. 5. Fast.

Cyrillus diuinus homo cum sacra litaret,
Mane sub auroram sacra vestitus abolla.

Acerra, arcula erat thuraria in sacrificijs. Latenæ, vascula parvula sacrificijs faciendis apta. Simpulum vas parvulum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificijs libabatur. Blond. Triumph. Romæ lib. 1. Scholast. ad Satyr. 2. Persij. Fol. 49. & vt Philippus Beroaldus ad Asinum Apuleianum ait referente. Ioan. Boemo Aubano de Gent. mor. lib. 1. cap. 5. Pleraque ex Ægyptiorum religione translata in religionem nostram irrepserunt, ut lineæ vestes, derasa sacerdotum capita, vertigines in altari, pompa sacrificialis, musicæ modulamina, adorationes, preces, aliaque id genus plura. Hæc ille. Guichardus Funeral. lib. 1. cap. 5. aliter de Acerra disserit, vbi dicit. Mortui cadauer syndone munda induitur ad morem Ægyptiorum, super tabula ponitur loco domus

mus conspicuo & honoratiori, ad quam erigitur ara seu acerra, in qua incenduntur thymiamata & cereæ. Sive tamen acerra sit thuribuli theca, sive ara, sub vtraque facie eam induit papismus, & quæ hic attulimus plura, suis locis lumen accipient.

Æratos, sive ære alieno obnoxios mortuos sepultura prohibere, vt est in papatu, à veteri consuetudine est. Diod. enim Sicul. ait lib. antiq. 2. cap. 5. recitante Guichard. Funeral. lib. 3. cap. 10. corpus defuncti, jam præparatum, ferebatur coram Magistratu, vt cuilibet liceret objicere quæ videbantur, si judex putasset laborare ex crimine, aut ære alieno, prohibuit sepultura, amicique domum deferentes cadauer penes se servarunt, sine thensa aut feretro imaginifero, dum posteri eluerent scelus objectum, & ære alieno liberarent, neque erit injucundum hic recitare quid acciderit in Anglia, tempore quo Maria regina catholicos Evangelistas ferro flammaque persequitur. Erat inter à Ioannes Ransfordius Periscelidis eques, is in transitu videt sacrificulum missificum à justis mortui cadauer rejicientem, occurrit, & ab amicis defuncti ed. ctus sepulturam ideo negare missastam quod defunctus habuisset æs alienum, intercedit eques, & præfractè preces omnes recusante missifico, jubet pompæ comites fossam altiorem effodere, qui cum strenuè operam præstitissent, monet vt comprehensum sacerdotem missicanum præcipitem dent in foveam, & superinjecto cadavere terram injiciant, cum mandatis vt missicem apud inferos aut socium liberet ære alieno, aut ne denuò inter vivos existat.

Æras si longa authoritatem religionibus faciat, (ait Symmachus in relatione ad Valentinianum,

Theodosium,& Arcadium augustos,pro veteri deorum cultu adversus Christianos)servanda est tot seculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt fœliciter suos. Hæc & hodie obtrudit Evangelicis Catholicis Papa.

Agros, ait ibidem, Virginibus & ministris deficientium voluntate legatos fiscus retentat.Hunc morem papani in numerato habent, vt morituris potiores bonorum partes extorqueant, vt optimam vestem,primum seu præcipuum, vt vocant, mobile,& alia id genus, præter Testamenti confirmationem, sepulturæ pretium, cantilenarum & boatuum,cereorum & neophytarum stipendia, & id genus innumera,quæ suis hic locis videre est: & inter omnes, Iesuitæ huic operam rei nostro ævo dant indefessam, vt in nostro Pyriphlegetonte satis doceo, freti octava illis liberalissima, ac alijs quondam monachis,scientia,quæ ars adulandi dicitur.

Altare à Noemi instituto mutuatum, Bonifacius 3. operit linteis & candidis pannis. Polyd. Virg. lib. 5. cap. 6. de rerum invent. vel potiùs ab Ethnicis sunt desumpta altaria, nam teste Herodoto & Strabone, lib. 17. primi omnium Ægyptij dijs & aras,& simulachra & delubra statuerunt, sacrificiumque curarunt. Alij ex Mose mutuata putant Hujus instituti apud Papissum authores sunt Sixtus. 2. Vigilius.7. Felix.1. & Hormisd.2. altaris autem ornamenta,quæ papani indumenta vocant, ex Mosaicis ceremonijs sunt: Num. 4. hanc tralationem Clementi quidam ascribunt,de quo lege de Conse. Dist.1.Can. altaris palla.Iovi aras primum apud Græcos constituit Cecrops Diphies Atticæ primus rex anno mundi. 2402. Szeged.in Specul. Pontific.

Amburuale

Amburuale ſacrum, eſt cum arua & ſegetes ſolenni victima luſtrantur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 12. ſervant papani menſe Maio, & ſupplicantes luſtrant agros, ac in Sabaudia fieri vidi.

Amictus, Orarij, Cidaris, Albæ, Stolæ ſatis meminit Plutarch. in Auton.

Amiculus pelliceus victimariorum erat indumentum, hi enim beluæ ſacrificatæ pellem induebant, lana aut ſetis exteriùs rigentibus: Canonici, vt appellãt, regulares, amictu ſeu amiculo humerum jam induunt. Anton. Pinetus lib. de conformat. Eccleſ. reſtit. cum primitiva. cap. 1.

Amuleta ſic habe. Virg. Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis, & Ovid. Vipereas rumpo verbis & carmine fauces. Vide Faſt. 6. & metam. 7. Horat. Epiſt. 7. Epod. 5. Tibul. lib. 1. de faſcin. Eleg. 2. Lucan. de bello Civil. Manil. Aſtron. lib. 1. Hinc patet gentiliſmo in vſu fuiſſe vt crederent in verbis magnum eſſe momentum ad hæc vel illa præſtanda, perdenda, reſtituenda, liganda, ſolvenda. Iudæorum Cabaliſtici per decem nomina Dei conati ſunt, & ea Angelorum in Biblijs reperta, mira facere: ad horum exemplum per non diſſimiles voces, per ſimilia nomina, cruces, Euangelij fruſta: Miſſas, exorciſmos, aquam conſecratam, & alia id genus amuletorum promittit papatus tum ſibi tum alijs incolumitatem & corporis & animi. Reynald. Scotus lib. 12. cap. 2. Revel. Mag. & apud alios tum Poetas, tum hiſtoriographos de magicis incantationibus, exorciſmis, & curatione tam hominum quam beluarum per carmina haud panca habentur, ſed horum impietatem omnium ſuperat longe hac in re Papiſmus, hic enim ſupra Dei poteſtatem poſ-

ſo

se cammina, posse exorcismo affirmat, quale est hoc Leonardi Vairij lib. de Fascin. 3. cap. 10. vbi asserit Christum verbo ejecisse dæmonia ex foris corporibus, & efficaciori verbo sacerdotem ejicere ex anima Satanam: & verbum illud Confessionis Auriculari, Ego te absolvo, ita efficax esse ad dæmonem pellendum, atque ea Dei vox, Fiat Lux, fuit ad tenebras illuminandas in rerum creatione: Hisque, ait, si addas cruces in omni actione, morione, & stigmata fronti, aut verbera, jam adhuc efficaciores omnes hos reddes exorcismos: sed quid in minimis his enumerandis me fatigo, cum dicant ipsum Deum exorcismis parere, tartara incantationi cedere, terras, maria, amuletis, alexipharmacis, & periaptis manus dare victas: homines invito cœlo à malis liberari, beluas mansuescere, flammas non vrere, aquas inundantes non mergere, fulminis irritos reddi conatus, enses hebetari, victoriam certam vt promitti, & dari? Denique, omnia morborum genera curari, quæ etiam medicina quam habemus non curat, beluas inter cælestes referri, id est, ac Mahumetis asino, cœlum concedi, equum enim ducis Aluæ consecrant Flandri, Apotheoseque donant, vt videre est apud authorem Apiarij Romani, ita vt nihil fictum, obstrusum in cœlis quod exorcismis non pateat, nihil tam abditum in inferno quod non eruatur, nihil in terrarum silentio inclusum quod non eliciatur, nihil in hominum pectoribus conditum quod non reveletur, nihil ablatum quod non restituatur, & nihil quod haberet orbis, sive insit, sive non, è quo dæmon non ejiciatur: & quoniam me tædet omnia prosequi, amando lectorem ad Reynald. Scot. lib. 12. integ. de Revel. Mag. vbi hæc invenies & alia

plenius

pleniùs. Hoc possum affirmare dum civili Gallorum bello operam do, vidisse Cataphractos, qui occidione occisi haberent amuleta à sacrificulis accepta, quæ promitterent securitatem ab omni læsione & morte: Et possum adhuc Missicimum libros ostendere qui innumeros habeant exorcismos & alia id genus ad morbos curandos. Et vidisse Sabaudiæ Missificos qui quotidie darent amuleta, seu Evangelij frusta in charta aut membrana descripta, quæ à collo dependentia morbos profligarent.

Anachoreticam vitam eligunt Essæi Iudæorum sectarij, à cognatis & re sua familiari recedunt, & omnibus vitæ curis repudiatis, atque vrbibus relictis, aut in desertis agris, aut hortis, aut montibus degunt: in vnoquoque cœtu est ædes sacra, quam σεμνεῖον vocant, & monasterium: hæc Philo & Suidas, vino, conjugio, & carnibus abstinent, & duriori cubili degunt, ait Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 12. En tibi primos Eremitas & initia monasticæ vitæ: cujus fundamenta primus jecit Paulus Thebeus. Szeged. in Spec.

Angelus custos sic est: Euclides Socraticus duplicem omnibus hominibus appositum genium scribit, hoc est, duos Lares. quod etiam L. Florus videtur sentire, dum inquit, ipsi Bruto per noctem, cum illato lumine ex more aliqua secum agitaret, atra quædam imago se obtulit, & quæ esset interrogata, tuus, inquit, malus genius, hæc sub oculis mirantis evanuit, certè non addidisset malus, nisi & alter bonus genius esset: Hos ab Æneæ è Troia in Italiam vectos dicit Virg. ibi. Ilium in Italiam portans, victosque penates: eosdem enim esse genios, lares & penates manifestum est. Perottus ad 3. Martial. E-

pig.

pig. fol. 100. Duos assignat nascenti homini vetustas Ethnica Angelos, alium bonum, alium malum. Wierus de Impost. dæm. lib. 1. cap. 5. Menander & Empedocles referente Plutarcho Comment. de Anim. tranquill. duos Angelos nostræ vitæ præsides posteritati suis scriptis versibus transmiserunt. Genios, Lares, Dæmonas alij dixerunt eosdem esse, sed alios bonos, alios malos, verum nō natos nobiscum: nam dicunt, Lara sive Larunda nympha fuit, quæ Iunoni furta Iovis cum luturna patefecit, quam Mercurius compressit, & inde geminos sustulit, qui à matre Lares appellati sunt, colebantur domi, focusque illis sacer erat, vnde vulgus focum, foculare appellat, quasi Laris focum: Hi putati sunt dij domestici (ἐφίστοι) quod ad vrbis cōmoda vigilare dicuntur, inter compita: Ovid. in Fast. Lucifero subeunte Lares delubra tulerunt. Calepinus, Genios binos ab ipso natali die cuique mortali deorum munere datos, bonum scilicet & malum Empedocles reputavit. Menander vnum, Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 4. Theodoretus in expositione Epist. Pauli ad Colossē. dicit, qui legem defendebant Pseudoapostoli eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, legem per ipsos datam fuisse, manst autem hoc vitium diu in Phrygia & Pisidia, quocirca Synodus quoq; conuenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, & lege prohibuit, ne precarentur Angelos: Canon Concil. Laodicen. est 34. ac ita habet, Non oportet Christianos derelicta Ecclesia abire ad Angelos & Idololatriæ abominandæ congregationes facere. &c. Sed nunc ex papismo Angeli duo cuique assident, bonum his conceptis precantur verbis.

Angele

Angele qui meus es cuſtos pietate ſuperna,
Me tibi commiſſum ſerva, defende, guberna.

Malum autem pro derelicto an habeant in votis, quia lædere creditur, mihi adhuc non conſtat.

Animalia quæ in deorum tantum tutela erant, & ſine paſtore Hyppocrates ἀ; ἱστους κορας vocavit quaſi animalia ſacra, & aptavit ad Athenienſes hoc proverbij-hujuſmodi animalia hodie in papatu ſunt Sues S. Antonij, quibus liberum eſt propter innatam aut exorciſmo immiſſam deorum tutelam, etiam tempore peſtifero, cum id generis alia, & reliqua quæ putantur immunda animantia aut occidantur, aut vrbibus ejiciantur, liberè per vrbes ſpatiari aliquando ſine paſtore, ſæpe ſubſequente monacho ſuitici ordinis, qui nomine Suis S. Antonij ſtipem mendicet vicatim & domeſticatim ac Toloſæ heri audivi ſæpius.

Animarum ad nos regreſſus ita eſt ex Manilio lib 1. Aſtron. cap. 7. de lacteo circulo.

An maior denſa ſtellarum turba corona.
Contexit flammas, & craſſo lumine candet,
Et fulgore nitet collato clarior orbis.
An fortes animæ, dignataque nomina cœlo
Corporibus reſoluta ſuis, terræque remiſſa.
Huc migrant ex orbe, ſuumque habitantia cœlum:
Æthereos vivunt annos, mundoque fruuntur.

Lege Palingeneſiam Pythagoricam apud Ovid. in Metam. & eſt obſervatum Fabij Pont. Max. diſciplina, vt atro die manibus parentare non liceret, ne infeſti manes fierent. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 26. Hæc cum legerent papani, & his alia apud alios ſimilia, voluerunt & ſuorum defunctorum animas ad eos reverti, & nunc certiores facere rerum earum, quæ

quæ tum in cœlis, tum apud inferos geruntur, nunc autem terrere domesticos insanis artibus: sed quot sint fœminæ fœcundæ factæ his technis novit omnis mundus.

Anniversaria postridie Cal. Novemb. Odilo abbas instituit, ea de re quod speraret in Ætna monte sontium animas expiari, propter auditum à se illic fremitum ferventis æstus maris, & eructationis igneæ, quod institutum, vt pietatis plenum patres demum receperunt, fuit is annus circiter 1000. alter humanæ salutis: at jampridem inoleverat hic mos apud veteres parentandi ad sepulchrum, teste Cicer. 1. Philipp. & in orat. pro Flacc. sic fiebat annua parentatio, id est, sacrificium quotannis ad honorē mortuorum, Macrob. & Cato tradunt: sic nos illud ipsum institutum pro salute mortuorum servamus, & Odilo hanc veterum religionem omnino secutus est. Polyd. lib. 6. cap. 9. Invent. Anniversarium sacrum facere Pontifices in Velabro, vbi Accæ Laurentiæ nutricis Romuli ara & statua erat, ad ejusque sepulchrum Decembri mense convenire frequētes, & dare inferias solebant, quod populum Romanum decedens hæredem faceret. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 25. Virg. lib. 5. Cicer. ad Attic. Hoc institutum Felix primus in Ecclesiam vehit. Szeged. in Spec.

Annulus sponsæ dono mittebatur à viro, qui pronubus dictus. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5. & mediante annulo contrahitur matrimonium papanorum.

Anser Isidi sacer erat. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 12. in papatu autem ea cura est cuidam Gallo omnis commendata. Buling. cap. 34. lib. de Orig. Erron. cult. deor.

Apparitores fuêre apud Romanos ministri regij, qui

qui astabant lateri, & corporis stipatores erant, vt si quando opus esset, ad imperium nutumq; regis præsto forent. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 27. habet & suos papa, quos novo nomine vocat Estafieros.

Aquæ aspersio inter Februa fuit habita, quia sicut & nos, Gentiles vtebantur: vulgata enim priscis temporibus opinio obtinuit, Februa esse omnia quibus malefactorum conscientia purgaretur, deleretur que peccata, aut manes animabus defunctorum placidi redderentur: quanquam mos ipse à Græcis quam à Romanis originem habuit, vnde Peleus traditur absoluisse Patroclum, & ab Acasto absolutum fuisse Peleum à cæde Phoci fratris sui, cum interim Ægeus Medeam aquæ aspersione lustraverit: quam opinionem Ovid. damnat his versibus,

Ah nimium faciles qui tristia crimina cedi,
Fluminea tolli posse putatis aqua.

Lege Apothegm. Diogenis. Macrob. in Saturn. ait, constare diis superis sacra facturum corporis ablutione purgari. Fuit etiam prope portam Capenam nunc Appiam, aqua Mercurij appellata, ad quam cum convenissent populus Romanus, vnusquisq; ramo lauri alterius caput ea aspergebat aqua, Mercurium invocans: vt aspersi, peccata, præsertim perjuria, mendacia que, diluerent. Et aquam benedictam, aspergillum, & vires, &c. Ex fonte Iuturnæ, qui circa Numicium labitur, aqua in omnibus sacris adhibetur, & inspargitur, quam nonnunquam pueri Flaminum ministri, quos Camillos vocant, coronati tenebant, ex hac aqua ægros curari, & bonæ valetudini restitui putabant. Alex. ab Alex. lib 4. cap. 17. Camillos in novitios transmutat papa, qui vivis & mortuis prosint aquæ aspersione, & ægritudini beluarum

luarum. Sabaudiæ singulis festis, aut saltem Dominicis ex novitiorum ordine adest vnus hora prandij cum ardanio portatili & aspergillo, qui aspersis aqua conuiuis, lectis, cubiculis, & omni famulatu cum prece, stipe accepta refert pedem: ad finem Missæ ex Missificis vnus suo ordine percurrens qui interfuit, omnes aqua diluit, & nescio quid murmurãs, ob obscium à volentibus numum percipit: alius in exitu populi ditiorum adit sepulchra, quorum parentes illac discedere est certum, aqua bustum spargit, blaterat sui requiescant, & ita ab amico defuncti prætereunte emungit aliquid: alijs est curæ adesse lecto maritali, & noviter nuptis vt ex omni hominum cõditione aliquid expiscentur. Aquæ consecrationem quidam Sixto, quidam Alex. 1. tribuunt, dist. 3. De Consecr. Szeged. Aqua expiationis marina esse debet, quum propter vim igneam magnopere purgationibus consentanea putetur, namque mari sæpe expiantur quæ violata sunt. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27. cum vero mare non semper ad manum papanis sit, dulci aquæ salem immiscent', vt ita veterum ceremonia impleatur. Aquæ lustralis jam olim fuit vsus, Numer. cap. 8. in Levitis consecrandis, quo factum est, vt Alexand. 1. Author fuerit, vt hujusmodi lustralis aqua consecraretur, & ad dæmones effugãdos in templo, domique servaretur: Polyd. lib. 5. cap. 8. Invent. Ovid. de Ponto. Spargit aqua captos lustrali Graia sacerdos. Apul. lib. 11. Metam. Proclus de sacrificijs. Ad sacrorum veterum morem pertinet illud quoque, expurgari solitos adeuntes insperfionibus aquæ, in qua torrem ex altari vbi rem divinã obijssent, prius restrinxissent, quæque Chernips diceretur. Cælius lib. 7. cap. 1. antiq. Lect.

Ara

Ara portatilis papæ hinc est. Moluerum enim quadrata erat assula, super qua faciebant sacra Ethnici, quæ circumferri poterat: Papa habet tegulam, aut lapidem alium leviorem & quadratum, cui in privatis ædibus, vt occasio fert, est vsus.

Aras floribus redimit, truncos dolamine effigiat, cespites libamine humigat, lapides vnguine delibutos offert. Apul. lib. 1. Florid. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. omnia retinet papatus, & sub eadem facie.

Ardaniorum alia fixa in introitu templorum, alia circumlatitia ad domos inspergendas: in Delij Apollinis templo præcipua erat aqua sacrificantium vsui accommoda, quam ad alios vsus hausisse magni criminis instar erat: Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. & si cinis viruli aspersus populum Iudæorum mundabat, multo magis aqua sale conspersa populum sanctificat, & insidias Diaboli avertit. Can. aquam, quod est 19. de consecr. dist. 3. fol. 1299. Institutum Numæ est. Hist. tripart. lib. 6. cap. 35. Valentinianus percutit sacrificulū qui cum ingrederetur Fortunæ deæ sacellum, hac ipsum aqua irrorat, ex amulo accepta aspergillo.

Arma in Phanis deorum suspendere veteres ficubi res benè processisset foris reversi incolumes soliti sunt, vel vt essent ad virtutem posteris documento, vel vt gratos se erga deos exhiberent, quorum beneficio rem bene cecidisse sibi persuaserunt. Ioan. Sichardus Comment. ad Prudentij Psychomachiam. Arma & militaria signa veteres, vt nos sepulchris affigunt. Polyd. lib. 6. cap. 10. Invent. Veteres mortuorum arma à tholis suspendunt. Cicer. lib. 1. de Divinat. morem habet papatus. Vide Vexilla.

Artificio cuique suus adest deus. Vulcanus Fabro ferra-

ferrario Ethnicorum, noſtro Eulogius, ſeu Aloſius. Venus meretricibus, noſtris Brigida. Venatori Anubis, noſtris Hugo. Apollo Parnopeius captae mures, apud nos Gertrudis. Apollini & Æſculapio ejus filio datur morbo medicinam facere, apud nos Coſmae & Damianoeae peſtis in partem cedit Rocho: oculorum lippitudo Claraе. Antonius Suibus medendis ſufficit & Apollo noſter denium morbis. Gertrudi eſt etiam ovium commiſſa cura. Vendelino anſerum, qui ſub Iſidis ante fuere cuſtodia, ait Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 12. Morbo ſontico olim Hercules, nunc Ioannes & Valentinus praeſunt. Febri verò phanum triplex erat Romae, vnum in capite vici longi, alterum in palatio, tertium juxta Mariana monumenta, cujus adhuc extare veſtigia plerique aſſerunt. Alex. ab Alex. lib 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 28. & lib. 6. cap. 11. nunc autem Febris deitate amiſſa in Petronilli poteſtatem venit. In arte obſtetricandi Lucinam longè ſuperat noſtra Margareta, & quia haec moritur virgo, ne non ſatis attenta ad curam ſit, quam neque didicit, neque experientia cognovit, illi in officio jungitur fungendo expertus Matpurgus, aliqui addunt loco veteris reginae deorum Iunonis, reginam noſtri coeli divam Mariam, Ruffinus & Romanus phreneſi praeſunt. Iobus puerorum ſanat morbillos, quondam praefuere pueris Pilumnus & Picumnus, vt vitales forent. Sylvanus pueris antiquitùs fuit infeſtus. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25. Rumnus Ethnicarũ mulierum curat mammas, noſtrarum Agatha, qui ſtudebat Servatio nihil terra mative perdidit, ſi alijs autem intẽtus huic curae intereſſe non potuit, illi facit ſatis Vindemus officio. Haec ferè Reynald. Scot. lib. 10. cap. 4.

Revel.

Revel. magiæ, & alijs capitibus.

Arvales fratres erant collactanei, vt putatur Romuli, quos ipse instituit sacerdotes, qui pro frugum copia sacra facerent, & agrorum fertilitate. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 26. & sacrificuli Papæ pro frugibus in fano campestri agris proximo sacrificant post agrorum lustrationem.

Asyla fuerunt in orbe plurima. Romæ qui captl bello ad Imperatorum regumque statuas confugissent velut ad Asylum, nexu solvebantur, & immunes erant, in eos enim manus injectio non erat; & Ephesi templum Dianæ id juris habuit, vt ad illud confugientes mancipio solverentur: quod Alexander ad stadium produxit, apud Molossos, Samothraces, Crotoniatas, & Messenios, ac plerosque, ad deorum aras confugisse, pro asylo habitum est. Ithacenses, Iovis Servatoris aram: Athenienses Thesei Sepulchrum, & in Conopo Herculis templo erat asylum, ad quod serui confugientes, si initiati forent, opprimi aut vi cogi non poterant. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20. & Papa habet pro asylis domos Episcoporum cathedrales, cum frequenti vicinia, aras, cœmiteria, templa, monasteria, & qui pessimus mortalium cucullum Franciſci induiturum se spoponderit olim, à pœna mortis judicatæ ad cucullum remittitur: Hinc illud proverbij, Desperatio facit Monachum, & cujuscunque conditionis homines semel initiati, opprimi aut vi cogi non poterant: habent & asyla nostra sæpius pluſquam stadium. Asyla 24. concessa à Bonifacio 5. furibus & latronibus. Szeged.

Assessores & consiliarios dant Ethnici summo deo Iovi Saturnum, Martem, Venerem, Mercurium, Minervam, Neptuno Nereum, & Baccho dat Papa

Martinum, quo non satis faciente, mittitur subsidio Vrbanus: & tota animarum cohors apotheose donatarum est Christo & Deo Patri à consilijs. Reynald. Scot. de Revel. mag.

Avaritia sacerdotum ab ipso, vt mihi videtur, exordio religionis nostræ cœpit vigere. Iudas primum ex discipulis Salvatorem prodidit acceptis numis, & ab eo in reliquos auri ingluvies manavit, perseveravitque ad nostram ætatem, adeoque in eis insedit vt rarum sit reperire sacerdotem cupiditatis expertem, quod mihi quidem majorem in modum miran. dum videtur, eos quibus nihil unquam deesse potest militant enim stipendio Christi, qui in summa rerum copia minimeq; defutura versentur, quos bona fortunæ ad nutum circumfluunt, tamen cruciari semper, veluti Tantalum apud inferos, perpetua auri sizi, & quo plura assequantur, eo ampliora ab eis concupisci legunt, Pogius Florent. discept. de Avaritia.

Augurum & papatus ceremoniæ parum dissimiles sunt: certis enim horis, alijs non item vtebantur augures: certis anni temporibus extispicium, aruspicium, augurium, dicaverunt, ac papa suos ritus certis horis, diebus, anni temporibus: in Quadragesima scelus est aperire imagines, piaculum canere Alleluia, gravi bombo decorum vti, intesa voce facinus, illi antemeridianas horas, id est, crescentem diem, fœlices putant, operique accommodant: Papæque has easdem Missæ fortunatas esse statuerunt, pomeridianasque ineptas esse & inefficaciores quam vt in eis Missa debeat fieri. Illi lituo extenso, facieque in orientem versa operantur: Hinc Iosephus Scaliger, ad illud Propert. lib. 4. Pollicibus fragiles increpue. re manus, veterum Christianorum temporibus, ait pollice,

pollice, medico & auriculari depressis, ac medijs duobus indice & infami erectis, significabant se verba velle facere ad populum. Fulgentius Placiades lib. de continentia Virgiliana, Itaque compositus in dicendi modum, erectis in jotam duobus digitis, tertium pollicem comprimens, ita verba exorsus est, itaque episcopi sic pinguntur, quia, eo gestu olim in loco, qui Salutatorium dicebatur Latinis, ἀσπατικὸν Græcis alloquebantur populum, & benedicebant eum: hodie Episcopi eo gestu benedicunt, sed tamen populum non alloquuntur: hæc ille: est & pedum episcopale in vsu quod pro lituo extenditur: similiter & facie in orientem versa missificant. Augures nihil valuerunt prædicere pauperibus, portendunt enim magnatibus portenta: & transformatus Christi sanguis, summum papam in secta augurium, nihil portendit pauperibus nedum salutem, qui soli missifico cedit in partem. Nihil cum plebe auguribus erat commune, & Carthusiani non se miscendos vulgo dant, & ipse papa vili inferiorum reliquarum rerum abjecta creatione, omnipotentem Christum creat. Augures prospera, adversa ex avium extis, volatu, garritu solent prædicere. Papa à Missæ sacrificatione Cœlum, Gehennam, Pyriphlegetonta pendere vult, & hominum quosvis eventus. Augures imminentia mala sacrificijs & contritione avertunt. Papa sacrificio Missæ, peregrinatione, confessione ad aurem Synedri, & pecunia. Augurum vestis cum illa reliqui orbis dissidet, præcipuè dum orant, & sacrificia parant, & missifica papæ est propria vestis. Piaculum erat verba effutire intercepta, aut mutila, ita institutum est in papistica Missa, sed vt nunc sunt tempora, sacrificatoribus pluribus missæ,

vt nomen, ita & latinum idioma ferè prorsus, aut saltem majori pro parte, est incognitum, vt quid dicant neque ipsi, neque auditores intelligant. Augures præibant verba quæ repeteret populus, ita fit in papatu. Illi voluerunt soli deorum interpretes dici & mediatores, prorsus vt papani: Sed cum dicat Papa, quæ protulit Deus non valere, nisi sua interpretatione approbentur, hoc ex sua supra Augurum disciplinam addidit, ne videretur totus ab illis pendere, aut illorum solummodo diritati subscribere. Pro augurum arbitrio, & nominatione, nec aliter, designat Magistratus suos Senatus, & populus: & pro velle suo Papa his dejectis novos sufficit reges, imperatores, magistratus, his iterum prostratis priores restituit, sic à papæ nutu dependet orbis, & vrbium politia. In lege duodecim tabularum est, Prodigia & portenta ad Hetruscos aruspices (si Senatus jusserit) deferunto, Hetrutiæque principes disciplinam discunto, quibus divis decreverunt, procuranto, ijsdem fulgura & ostenta pianto, auspicia servanto, auguri parento: ita papa vult præter hæc divina, etiam omnia humana procurare, & omnium vnus esse judex, & in serinio sui pectoris omnia jura cohibere, & lites ad se deferri, etiam invitis Senatibus, nedum non jubentibus: ita ex omni nobilitate, & fæce plebeia novitios disciplinæ suæ accõmodat, & prima, vt vocant, rasura ad minimum insignit, vt sint apti qui syrma sacerdotale ante aras ferre possint: ita quibus dijs ipse decreverit, populus tenetur sacra facere, votis lacessere, preces fundere, peregrinationes instituere, &c. Augures fulgura & ostenta piant, vt papa Missis ostenta, campanarum fragore fulmina, lustrationibus & aqua benedicta reliqua,

quæcun-

quæcunque ominosa: ac augures auspicia, ita Papa beluas, & beluarum occurrentium in tuitus fremitus, insultus, prædationes, avium cantus, & occursus vt & virorum & fœminarum, observat, conjurat, exorcismo vincit, incantamento abigit. Vidi enim Sabaudiæ in foro Seguſianorum ordinis prædicantium monachum, qui brucos vastitatem oppido minitantes conjuratione & exorcismo conatus sit rejicere & interimere, licet frustrà. &, inquit Martinus de Arles in tract. de superstit. contra Malef. Hispani, & inter hos præcipuè Lusitani, corvorum crocitatum super tecto, bubonum bubulatum in transitu, gallorum gallinaceorum cucurritum intempestivum, lunæ corniculationem, Solis nubilum ortum, stellarum trajectiones in aere, felium peregrinarum egressum, ingressum, gallinarum subitum è tecto casum stupent, timent, & omnis loco habent, & tamen hi & papatum integrum devoratse videntur, & præ papa Christum nihili facere. Augures deorum consilia prædicunt, papa non scriptam voluntatem & inauditam obtrudit, mentè nolenti Deo elicit, consilia ad arbitrium prodit, demit ad placitū Dei scripto, & contrà Apostolum dispensat. Dist. 34. can. lector. in glos. dist. 82. can. præbiter. in glos. caus. 15. q. 6. can. authoritatem, in Glossarore. & de injustitia p: test facere justitiam, lib. 1. decret. Gregor. tit. 7. Can. Quinto. & potest supra jus dispensare, ibid. & in his quæ vult, est pro ratione voluntas, ibid. & rerum naturam immutare potest. & de nihilo aliquid facere potest. & cæleste arbitrium habet, & plenitudinem obtinet potestatis, ibid. & Pontifex Romanus Deus est, dist. ab. can. satis evidenter. & papa non est homo, lib. 1. Sixti de elect. tit. 6. can.

fundamenta. in Gloſſatore. & Papa nec Deus eſt, nec homo, in prologo Clementinarum, in Gloſſat. & nulli fas eſt, vel velle vel poſſe tranſgredi Apoſtolicæ ſedis præcepta. diſt. 20. can. nulli, item diſt. 12. & 22. & Statutis Papæ non obediens hæreticus eſt, ibid. in Gloſ. & Papa eſt Epiſcopus totius orbis, lib. 5. Sexti. ca. Felicis in gloſ. & Papa totius mundi obtinet principatum, lib. 3. Sexti, tit. 16. can. periculoſo. & Papæ nullus audet dicere, Domine, cur ita facis? in Extravag. tom. 22. tit. 5. can. ad Apoſtolatus. in gloſ. 2. lib. 1. Decret. tit. 7. ca. 5. vide gloſſam. & Papam nullus mortalium judicare poteſt. Cauſ. 9. quæſt. 3. ca. nemo. item aliorum, & diſt. 40. can. ſi Papa. can. 12. quæſt. 2. can. quiſquis in gloſ. diſt. 40. can. non nos. in gloſſat. & nemini eſt de ſedis Apoſtolicæ judicio judicare, aut illius ſententiam retractare permiſſum, can. 17. quæſt. 4. can. nemini. & quanta eſt inter Solem & lunam, tanta eſt inter Regem & pontificem differentia. lib. 1. decretal. Greg. tit. 33. Solitæ. Szeged. in Spec. Augures in ſua collegia non admittunt vlceroſos, à cane morſos, aut mancos, &c. Et exercitij ſacri tempore licet ſit hora meridiana, accendunt faculas: vlceroſos & mancos ad raſuram non admittit Papa, imo ad papatū non venit cui non ſunt priùs explorata virilia à multo tempore poſt Ioannam quæ mentita virum fit Papa, deprehenſaque in via eit quando peperit: ſed obſolevit jam olim hoc virilitatis experimentum, ex quo ſe coleis & mutone non carere probant antè pontificatum, gignendis aliquot nothis, quos deinde circum ſe habeant Cardinales & Epiſcopos.

Aures digitis obthurat minimis ſacerdos inter miſſandum vbi ad conſecrationis & hoſtiæ comeſti-

oncm

onem est ventum, imitatione Ethnicorum, in omnibus enim sacris, nisi Saturni, qui rem divinam facit, ait Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22. Genial. Dier. veteri instituto capite velato immolat, & adorantes vestem vsque ad aures attollunt, vt se humiliores exhibeant dijs, vel ne quid inter sacrificandum triste auribus aut oculis accipiant.

Auricularis confessio hinc est. Laconem initians quidam percunctabatur, cujusnam facti maxime ne farij sibi esset conscius: ille, hoc sciunt, inquit, dij, qui cum insisteret vehementiùs, ac diceret, est omnino hoc tibi declarandum, eum rogavit vicissim Lacon: cui est hoc, tibi, an deo dicendum? illo respondente, Deo: Ergo tu, inquit, hinc facesse. Plutarch. in Lacon. Innocent. 3. Auricularem confessionē à Christianis fulmine excommunicationis extorsit, ac decretalem edidit omnibus vtriusque Sexus, &c. vt est lib. 5. tit. 38. can. omnib. vtriusque. confessos celebrare Missam Damasus instituit. Nectarius Episcopus Constantinop. modum confitendi liberum fecit Szeg. in Spec.

Aurum & argentum non reponunt Essæi Iudæorum sectarij Eusseb. lib. 8. Evang. præpar. & Franciscani eidem legi se subdunt.

B

BAptisterium seu amula, aquiminare, seu ardanium papisticum à Mose sumit originem, Exod. 38. 8. fuit etiam in gentilismo vt supra vidisti.

Baptizare Papa mulieribus permittit, Marcionistas hæreticos imitatus Quintilianos, Cataphryges, Montanistas, Pepuzianos, Priscillianos, &c. contrarium est can. Constat. & de cons. dist 4. & anno 1568

Papa baptizat vexillum Italorum & Hiſpanorum, qui regi Hiſpaniarum militabant in Flandria, vocavitque Margaretam, quæ poſtea vt fertur, vicit in acie Diabolum collatis ſignis, ergo potuit vim facere proteſtantibus Flandriæ à fortiori ratione, ſed dolor, hi ab illo tempore numero auctiſunt.

Bella Marti ſunt curæ, ſed jam Barbara pontificis præſidet illis, & ideo, ſi quid puto, Papam de imperio penè dejectum videmus, poſtquam imbelli fœminæ ſuas commiſerit acies: quanquam & hanc tonitrus matrem, tempeſtatumque potentem faciant, vt Æolo ſint etiam nocui, & ſummo Iovi qui fulmina ſolus torquere ſolitus eſt. Audivi iſtam Barbaram ob Sabbati jejunium, quod in honorem ejus fit, multos milites reddidiſſe ad prædam audaciores, novi qui eam, vt à bombardarum ictu ipſos defenderet, in gladijs & thoracibus ferreis depinxiſſent. Cælius Curio Paſquill. exſtat. pag. 66.

Bella quæcunque ſub papatu geſſêre monarchæ & duces, hæc omnia aſcribunt accepta cum victoria dijs deabuſque ſuis hiſtoriographi poſt papatum inceptum, & inter omnes Boetius rei Scoticæ ſcriptor, omnia Scotorum pene regum trophæa his refert accepta, forte mutuato more ex Poetis, Virgilio, Homero & alijs, qui nihil non bellorum ſuis dijs concedunt.

Beneficiarij à regibus nominati, à Papa confirmantur, vel non: Flamines enim, ait Blondus, lib. 2. triumph. Romæ. à populo, vel à principe, vel dictatore, vel pontificibus creabantur, neutros tamen potuiſſe ſacerdotium, ita populi ſuffragijs habere, quin ipſos oportuerit à collegio pontificum cooptari: vnde tractus mos apud nos videtur, eos qui à principibus

cipibus sive populo & aliquo collegio ad dignitates evehuntur, oportere nihilominus à Rom. Pontif. & ejus collegio Cardinalium confirmari, hæc ille.

Boum pro incolumitate Sylvano vota persolvunt agricolæ. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 22. in papatu saluti boum consulit Pelagius. Buling. cap. 34. lib. de Orig. cult. deor. & simulachr. erron.

Brunani Gallicè dicuntur Chartreux, nam in Gallia nata est primum ea secta, fortè à voce Chartier, quæ Gallis currucarium significat, vt posteri scirent se ab auriga & clitellis vocatos ad rasuram: aut à voce Chartre, quæ carcerem notat, quod inter omnes monachos soli videantur perpetuò includi carcere ne vnquam ferè exeant, aut Laicum alloquantur, imo ne seipsos inter se: huic sententiæ favet Corrozetus lib. de Antiq. Parisiens. cap. 2. S. Dionysius, Rusticus & Eleutherus missi in Galliam per Clementem Episcopum Romanum martyrio à Sisino loci præfecto affecti sunt, locus vbi sunt incarcerati modò dicitur prioritas. S. Dionysij de la Chartre, ita dictus ab incarceratione horum Martyrum: aut à Chartre, quæ tabem significat, in tenebris enim perpetuis animus atrophia laborans, corpus fert in præceps tabescens, vt inutilis totus homo ad omne opus bonum reddatur: & si quando, vt fit, vigeat corpus, ea ejus est pinguedo, vt suffocet animam.

C

CAdaverum expiationem sic habe. Hebræi theologi, referente Agrippa occult. Philos. lib. 3. cap. 41. dicunt cadaver humanum seu corpus vita functum linqui in potestate dæmonis Zazelis, de quo dictum est in Scriptura, terram comedes omnibus diebus

diebus vitæ tuæ, & alibi, pulvis terræ panis ejus: creatus autem homo pulvis terræ, vnde & dæmon ille dicitur, dominus carnis & sanguinis, quãdiu corpus non fuerit justis exequijs expiatum & sanctificatum, pro harum nugarum incremento jubet Papa eadaveris expiationes fieri, vt quod valde immundum est aspergatur aqua benedicta, thurificetur, exorciſetur sacris orationibus, illustretur sacris luminibus, quousque supra terram fuerit, demum sacro in loco sepelhatur, crucibus & salvia circumvalletur, &c. sic apud Homer. Elpenor. Te rogo, inquit, Vlysse mei sis memor, neque inde discedens me inhumatum relinque ne insepultus deorum ira fiam.

Cadurcum est institita quæ supra lectum obtenditur, quæ tegit undique: & cum corpus Christi, vt vocant, aut sancti alicujus ossa per vrbem circumferuntur, cadureo superno, quod plures sustinẽt, operiunt, præcipuè in majoribus supplicationibus.

Cædentes cum se in Solennibus & lamentantes conspicoret Ægyptios physicus Xenophanes apposite admonuit eos: atq; hi, inquit, si dij sunt, ne eos planxeritis: sin homines, ne feceritis eis sacrum. Plutarch. de superst. en Pœnitentiariorũ, vt vocant, nostrorum per Hispanias & alibi se flagellantiũ patres.

Calceis nigris, vt Senatores, eorumq; posteri lunas annecterent, à Numa institutum ferunt, ab Arcadibus deductum, vt se Proselenos designarẽt, velut amplissimum testimonium nobilitatis tulerunt. Alex. ad Alex. lib. 5. cap. 18. an tamen calcearij lunã venerati sint, affirmare non audeo, nec alium sub cujus tutela eorum concinnent, invenio. Buling. autem cap. 34. lib. de Orig. cult. deor. erron. dicit papam illis geminos dedisse, Crispinum & Crispinianum.

Calig

Calix aqua & pane plenus consecrabatur in festo Solis, quem Persæ adorant, vocantque Mythros,& festo Nephalium: sic Iustinus Martyr. Apol. 2. morem papæ consecrandi panem & vinum à gentibus his mutuatum affirmat. Sed & in privatis Missis eodem planè modo fractus panis injicitur in calicem vino plenum,& vt adhuc omnino conveniant,illi aquam immiscent, & sic consecratis Missasta ille impiger haurit spumanté paterã & pleno se proluit auro.

Camerata loca in fanis & altaribus ideo fiunt, vt simulachri imago cœli reddat imaginem.

Campanarum in tempestate fragorem ita inducunt Papani. Thraces,teste Wiero,lib. 4 cap. 18.de impost. dæmon. prævidentes tempestatem mox adfuturam Stentoreo fragore clamitant, & vocem ad nubes tollunt armati, ensem manu tendentes cum cymbalis.Gaudent. Merula lib.1.cap.5.de reb.memorabil.ait,Etiam nunc Italiæ mulieres, tempestatibus imminentibus diri odoris pabula sub dio comburũt: sacerdotes autẽ more Thracum(qui tempestate imminente armati cum strictis ensibus,& crotalis,horribiliqs clamore in nubes fremebant) ad obstrepera cymbala,quæ campanæ dicuntur,convolant,magis confidentes in boatibus illis apud Deum inanibus, quam orationibus & jejunijs. de suis conterraneis ferè quid simile scribit Olaus Gothus,qui concitato in nubibus fragore,sagittas ex arcubus in aere excutientes,ostendebant se eps ferre dijs suis velle,quos tunc ab alijs expugnari putabant, nec ea temeraria superstitione contenti, inusitati ponderis malleos, quos Ioviales vocabant,ingẽti ære complexos,mãgnaque religione cultos ad eum vsum habebant, vt per eos, tanquam per Claudiana tonitrua, & per vsitatum

ſitatam rerum ſimilitudinem, cœli fragores, quos malleis cieri credebant, exprimerent: tantique ſonitus vim Fabrilium ſpecie imitantes, deorum ſuorum bellis ſic adeſſe, admodum religioſum exiſtimarent, durabat is Iovialium malleorum vſus vſque ad annum à Chriſto nato. 1130. apud noſtros quoq; prouos, non ſana parochorum doctrina, inolevit longa annorum ſerie perſuaſio, artemeſiam in feſtis Divo Ioanni Baptiſtæ ſacris, ante domos ſuſpẽſam, item alios frutices & plantas, atque etiam candelas faceſque deſignatis quibuſdam diebus celebrioribus aqua luſtrali rigatas, vel neſcio quo modo expiatas, & quando vſus poſtulat incenſas, contra tempeſtates, fulmina, tonitrua (in quæ etiam agminatim euectigiò ad omnium campanarum violentum continuumque tractum, atq; pulſum vt præſentiſſimum auxilium, & anchoram ſacram concurritur) & adverſus Diaboli poteſtatem, opera, & quæcunq; maleficia, velut prærogativa quadam valere. quoſdam incendere ipſo die Ioannis Baptiſtæ faſciculum luſtratarum herbarum contra tonitrua, fulmina, grandinem, & credere eo ſuffimigio diabolum profligari, tempeſtateſque ſedari, tradit Martinus de Arles. at veritati minimè oportet præſcribere vetuſtatis obſervantiam. Fides eſt ſpiritualis exiſtens quæ dæmonem exterminat, verbum item Dei ſpiritu efficax vetuſta rei teſtimonia hujus, & exempla, in veritatis libris ſacroſanctis, quamplurima atque irrefutabilia reperiuntur. in hanc inſuper rem variè quibuſcunque ſubſtantijs applicantur exorciſmi, quibus herbæ ita conſecrantur, vt ſint vtentibus eis ſanitas animæ & corporis, hteque precatio, vt ex omnibus hominibus pecoribuſque qui inde guſtaverint, putre-

do & cuncta Diaboli phantaſmata expellantur. Lege hæc & plura de aqua luſtrali apud Wekkerum, de Secretis lib. 15. cap. 16. Campanarum fragores Sabinianus inſtituit, & campanis baptiſatis propria nomina dari Benedictus 5. Szeg. in Spec.

Candela, quam in manum infanti baptizando dant, ex dicto Chriſti non rectè intellecto eſt, Lucernæ ardentes in manibus veſtris. Szeg. ibid.

Candelæ cereæ circa aras ab Ægyptijs veniunt, vt Clemens refert, qui primi lucernæ vſum in templis invenerunt, de quo Baruch. 6. vel ab Herculis inſtituto, qui vt Saturni aras non mactatis viris, ſed accenſis cereis excolerent, ſuos admonuit. Lege Dionyſ. Halicarnaſſ. 1. Annal. Rom. alij ex Moſe ſumptas putant. Levit. 6. Invexit has in Eccleſiam Sabinianus. Szeg. in Spec.

Canonizandi modum Tertull. in Apolog. Euſtat. in 1. Iliad. Tranquill. de Iul. Cæſ. in Philipp. Marc. Tull. apud Romanos & alios fuiſſe dicunt ex adulatione natum, vt Imperatores & alij, perindè ac dij haberentur colerenturque, ex vi etiam quandoque beneficæ, aut præclaro invento id accidit: alij dicunt, fuere Indigetes qui ex hominibus in deorum numerum aſciti, propter eximias belli pacisque artes, quod de genere humano benè meriti eſſent, poſt mortem numinibus æquati, celebrem poſteris memoriam reliquerunt: atque alij, qui dum vixere, functi laboribus, ob fortia facinora generi humano exhibita, tanto honore habiti cultique ſunt, vt ex hominibus in deorum numerum aſciti, pro dijs celebrarentur, & colerentur, quos velut aſcriptitios & novos incolas poſt fata in cœlum receptos putavêre: fuit enim hæc conſentiens obſeruatio, præcipuè

apud

apud Lacones, vt eximios præclaroſque viros, qui obuiam eundo periculis, remp. auxiſſent, ob egregia facinora ciuibus & patriæ exhibita, ut gratiam meriti redderent in deorum ſedes receptos conſecrarent, & in cœlum tollerent, illiſq; divinos honores & humano faſtigio ampliora decernerent: templaque, flamines, pulvinar, & aras ac ſedes immortalitatis exhiberent. Græci verò propter beneficia viuentes etiam cœlo conſecrare conſueverunt, quam Apotheoſim dixere. Alex. ab Alex lib. 6. cap. 4. Lauaret. de Spect. parte 2. & hic qua ratione Senatus populuſq; Romanus ſuos vita defunctos imperatores conſecrare, cœloq; inferre ſolebat, referendum duco, ait Ioan. Boemus Auban. lib 3. cap. 19. de Gent. morib. ipſi namque, vt Herodianus ſcribit, locabant in regiæ veſtibulo ſuper eburneum lectum, auro ſtratum imaginem defuncto principi per quam ſimilem: recumbebatque pallida effigies in modum ægrotantis: circa lectum magnam diei partem aſſidebat Senatus omnis ad lævam pullis veſtibus amictus, ad dexteram lectæ ex omni nobilitate matronæ in albis veſtibus, is enim color Lugubris fuit in muliere olim, omni alioqui ornatu detracto, id ſeptem diebus defuncto datur: medicis velut adhuc ſpirantem interviſentibus, denunciantibuſque indies morbum ingraveſcere: ad poſtremum, quaſi tum demum vita defunctum, equeſtres Senatoriique ordinis juvenes per viam ſacram in forum deferunt: lecto in roſtris depoſito, pueri, puellæque patricij generis conpoſito ab vtraque parte cœtu hymnos in defunctum canunt, flebili carmine modulatos. Deindè eburneo lecto cum effigie ex foro in campum Martium tranſlato, ingens ibi ſuggeſtus quadra-

ta

ta forma lignea tantum materia contexitur, multis gradibus in Phari ſpeciem faſtigio aſſurgẽtibus. Singuli auro & purpura inſtrati, ſignis ex ebore factis, variiſque picturis inſigniter excoluntur: ac quo altiores illi minuſque patentes, eò minores his imagines prominebant: interius erat moles aridis referta fomitibus, effigie ſecundo gradu collocata, omnibuſque odoramentorum generibus omnifariam admetis, quæ certatim à tota civitate eò congerebatur: juvenes nobiliſſimi equeſtris ordinis trabe. tabernaculo obequitabant motu quodam Pyrrhico ſolennique decurſu. circumagebantur & currus quibus inſidebant rectores perſonas illuſtrium principum gerentes, ac tum demum ab imperij ſucceſſore face admota circumfuſa multitudo ab imis partibus molem incendit, ac ſimul ignis cœpit invaleſcere ex ædificij faſtigio aquila emittitur, quæ principis animam in cœlum ferre putabatur. qui per hæc Romanorum princeps conſecratus eſſet, vana ſuperſtitione inter deos colebatur. Hæc ille. Lege Blond. Triumph. Romæ lib. 2. qui deificationi Imperatorum hæc addit. Superiorem quoque referendi in numerum deorum morem, aliqua ex parte imitari videmus, funeris Romanorum pontificum curatores. ædificata enim forma tabernaculi in turris Phariæ formam (caſtrum doloris noſtri appellant) ſericinis vndique pendentibus ornatur: & ſedet ad ſiniſtram longus atra veſte indutorũ ordo: lectuſq; ſub taber. naculo ampliſſimus aureis contegitur, ſuper quẽ videri volunt mortuũ jacere pontificem, non autẽ me dici, ſicut in ſuperiori, per ſeptem dies ad ſimulachrũ conveniunt, ſed ſtantes hinc inde ad lectum ſervi & ipſi atrati, ventilabrũ perinde muſcis abigendis frequenter

frequenter agitant, ac ſi in lecto jaceret, vel ægrotans vel defunctus pontifex, quem multis antè diebus condiderant ſepulturæ. Canonizationes mortuorum à ſolo Papa eſſe debere, Alex. 3. decreuit, Szeged. in Spec.

Cantilena feralis per antiphonas in pompa funebri & fano debacchata hinc eſt. Inter Græcos demortui cadavere depoſito in inferiori domus aula ad portam, & peractis cæteris ceremonijs, cantores funerales accedunt & θρῆνον canunt, quibus per interualla reſpondebãt domeſticæ ſervæ cum aſſiſtentium corona, neque ſolum domi, ſed vſque ad ſepulchrum præcedebant feretrum ita canentes. Guichard. lib. 2. cap. 2. Funeral.

Capitulum, vt vocant, ſeu Conſiſtorium hinc eſt. Calabra apud Macrob. dicitur curia veterum vbi tantum ratio ſacrorum gerebatur. Apud Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 16. Calabram curiam legimus juxta Capitolium, quæ Caſæ Romuli fuit proxima, quam ſine calatione aperiri non licuiſſe ſcribit Varro: Sed & veteres fuerunt curiæ vbi pontifices de ſacris ſacerdotiſque, & deorum religione, deque ceremonijs conſulebant.

Caputiani in diem vivunt ad exemplum Diogenis, quem ἡμερόβιον, id eſt, diarij victus vocauit Græcia, vt olim Franciſcani illud habuere, Ne ſis ſollicitus in craſtinum.

Cardinales Barbatius à cardine deducit, propter eum locum qui eſt Reg. 1. cap. 2. Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem, in qua authoritate Hoſtienſis doctor excelſus Cardinales figuratos fuiſſe putat. Cœl. Curio Paſq. exſtat pag. 113

113. Cardinalium nomen cum dignitate in vſu eſſe cœpit anno 1025 initio enim tantum parochi erant Szeg. in Spec. Cardinalium collegium in locum veteris Romani Senatus ſuccedit. Polyd. lib. 4. cap. 9. Invent.

Carniſprivij genealogiam cum omni pompa ſic derivo. Apollinares ludi Senatus vt in perpetuum voverentur, decrevit: quos ad noſtram quoque ætatem perveniſſe conſtat, ſiquidem hi ſunt quos per extremos Carniſprivij dies in Circo Flamineo, vbi nunc Agonis eſt appellatio, fieri quotannis videmus Principio enim mutationis prudenter factæ à gentilium ſuperſtitione ad ritus Chriſtianos, vt aliquid Apollinarium appellationis ipſi ludo remaneret, pro pè S. Apollinaris Eccleſiam ea etiam ratione inſtitutis locus ludis eſt retentus: nec multum variat tempus, quando hi, ſicut & illi, ad finem Februarij, vt plurimum, eduntur, & quando hoſtiæ illorum, ſicut decuit, ſunt omiſſæ, retinet conſuetudo aliquod victoriæ ſimulachrum faciendi, ſicut eos victoriæ ergo inchoatos Livius aſſeruit, quale proximis diebus fuit ſpectaculum omnibus nobis gratiſſimum, qui Eccleſiaſticæ Rom. Reip. membra, curiam ſequimur Romanã, cum in eodem Circi Flaminij agone prælij ſimilitudo quædam fuit, quod præclariſſimum æternaque dignum memoria, ætate proxima geſtum eſt ad Danubium qua fluvius influit Savus. Blond. lib. 2. Triumph. Romæ. Sed quia longè plures ſunt Carniſprivij geſticulationes quam Apollinares ludi offerant, ex Blondo placeat audire & vnde aliæ deriventur. Bacchanalia Novembri menſe celebrabantur tanta licentia, vt nympharum & Heroum habitu bacchantes prodirent in forum, & ad ſonum tibiæ,

cum lasciva gesticulatione compositis modis psallerent, vinumque cum bellarijs, libaq; ex melle, magna bibendi licentia, circumferrent: quæ sacra eò licentiæ processere, vt mulieres virique ornati hedera, crine fluxo, lymphatis animis debacchatæ cum thyrsis velut insanientes & furore afflatæ obuios ferirent: Ministri quoque fanatici ferulas gestarent, tanta temulentia & verborum licentia, vt M. Varro, nisi ab amentibus fieri potuisse negaret: quare ministri Menales dictæ, inter quos Sileni, Satyri, Bacchæ Lenæ, Chiæ, Mimallones, Naiades, Nymphæ, & Tytiri sacris operabantur. In his quoque comessationes, Thyrsi, tibiæ & cantus frequentes erant, & procedente tempore ex diurnis nocturna facta sunt (vnde Nictelia appellata sunt) promiscuis ingenuorum & fœminarum stupris, cum strepitu & vlulatu in omne facinus & libidinem. Lavini integer mensis Libero dicabatur, quibus diebus, verbis obscœnis & spurcissimis vti permissum apud Romanos ex Heliogabali instituto per forum virile membrum plaustro transuehebant, cui matrona spectatæ pudicitiæ velut sancto numini coronam imponebat. quod etiã Varro fieri consueuisse in reliqua Italia scribit, tanta turpitudine, vt per dies festos, Liberi membrum per agros plostellis, mox in vrbem cum cantu & vlulatu ferrent. Ægyptijs tanto abusu Bacchanalia fiebant, vt temeto ingurgitati, statuas cubitales per agros circumferant, protenta mentula, magnitudine visenda, præeunte tibia & choro cum Mercurij statua veretro porrecto: quas fœminæ & magno natu mulieres velut pompam triumphalem præ se agebant, tam fœdo spectaculo, vt nihil improbius aut nequius foret. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 19. Vnde

de non immeritò apud Herodotum in Melpomene, Scythæ vitio verterunt Græcis agendi Bacchanalia consuetudinem, negantes rationi consentaneum esse, deum excogitare, qui homines ad insaniam adigat. Mercur. Variar. lect. lib. 3. cap. 15. Et festum Priuli carnis omnium gentium, nympharum, heroum mores & vestem referre vidi: omnium Ethnicorum lasciviam longè superât, vt si Varro & Scythæ nunc essent, tricas & tramas præ nostris delirijs se in Romanis & Græcis reprehendisse putarent, omnium petulantiam ita superant voce, tibia, saltatione, & comessationibus, viri deformati in mulieres reddunt muliebres omnes effrænes gesticulationes, omni instrumento nequitiæ & libidinis armati obuijs insiliant, ludibrioque habent, omnium deorum dearumque & montium & vallium, sylvarum, aquarum, fontiumque faciem mentiuntur, & tam nocte quam interdiu insaniunt, scortantur, vociferantur: alij genitalium operimentum cubitale more Helvetico mirificè byssо & alijs ornatum manu molliunt, demulcent, erigunt, deprimunt vibranti clune, & tremulis natibus impudicitiæ quaslibet motitationes repræsentant: alij veretro tripedali insigniuntur, his suæ sunt fœminæ collaterales, aut veræ, aut personis redditæ, quæ phallum cachinnis eludant, admirentur, blandiantur omni gestu sordido: alij seminudi vagantur, mulieribusque priapo obuijs minitantur, motuque venereo in illas irruunt, verbis autem omnem impudentiam longe post se relinquunt prioris ævi: & non est matrona cui ista non arrideant, quæ non intersit, & gratuletur. alias præ foribus suis videbis præstolari amasios, qui sub larva latitantes possunt amatæ stomachum sine mariti reprehensi-

one detegere,& locum noctemque dicere in aurem: alij omnino nudi creta aut carbone corpus inducunt,& prætenta fuſcina obuios feriunt: alij malos dæmonas reddunt: ſed cum omnia dicere,quæ in Gallijs & alibi per Europam papiſſantem viderim, longum eſſet,ex his prudens lector quæ ſunt reliqua conjiciet:Concludoque cum Scythis apud Herodotum in Melpomene,quod jure vitio verterunt Græcis agendi Bacchanalia conſuetudinem, negantes rationi conſentaneum eſſe,excogitare deum,qui homines ad inſaniam adigat.

Carthuſianorum & Capucinorum inſtituta & vitam ſic habe. Sacerdotes Ægyptios ſcribit Cæl. lib. 7. cap.45. ant.lect. negotijs omnibus,curiſque rejectis,ſemper in templo fuiſſe,mulieribus nunquam ſe miſcuiſſe,nunquam cognatos,& propinquos, ne liberos quidem vidiſſe ex eo tempore quo cœpiſſent divino cultui deſervire: carnibus item & vino ſemper abſtinuiſſe,imo etiam pane rarò veſci ſolitos,ne onerarent ſtomachum, ovum quoque pro carnibus vitaverunt,& lac,quorum alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe dicebant,colore mutato,cubile ijſdem ex foliis palmarum, quas Baias vocant. Et Capucinis eſt aſſula, & intuſium ex ſetis equinis. Carthuſiani vitant omnium colloquia,& carnes: ſed lac,ovum, & carnes quadrageſimarij & hebdomadarij Venerei rejiciunt. A fœminis abſtinere debent vtrique,& curis rejectis divorum ſuorum cultui inſervire, Quod humi repant,ab ethnicis etiam eſt. Tibull.lib. 1. eleg. 2.

Non ego tellurem genibus perrepere ſupplex,
Et miſerum ſancto tundere poſte caput.

Vide

Vidi apud Armoricos Britannos ad Conquet vrbem littoralem simili superstitione omnis ordinis mulieres tundentes pectora perreptare nudis genibus ad effusionem magni cruoris templi ambitum.

Cereos accensos cum cereis imaginibus divis consecrare, à sigillarijs & oscillis Saturnaliorum apud Romanos petitum. Polyd. lib. 6. Invent. Benedictio Cereorum à Sozimo in Sabbato illo sancto est. hoc idem & Theodorus 1. approbavit. Szeg. in Spec.

Cereferi cum cereis aderant funeri apud Romanos. Guichard. Funeral. lib. 1. cap. 5. idem est in papatu.

Cinere quia se conspergunt in pœnitentia Iudæi Gregor. Mag. statuit, vt in Quadragesima antè initium Missæ cineres consecrentur, quibus populus aspergebatur, & diem huic rei sacrum dat, in quo cuncti generatim mortales characterem cinereum in fronte accipiant.

Circumagas te dum Deum oras, Numæ præceptum est, sedeas cum adoraveris. conversio adorantium simulachrum orbis mundi dicitur esse: quo magis videatur, qui adorat deos (quando orientem spectantibus templis aversus est ab ortu) se ò se flectere, & mox convertere ad deum, orbem conficiens, & committens ex ambobus consummationem precũ; nisi quid hercle è similitet Ægyptijs rotis involuit & significat hæc figuræ mutatio, nihil esse in rebus humanis stabile, sed quo verterit & volverit vitam nostram Deus, contentos esse nos, & boni debere consulere. Plutarch. in Numa. En Papæ in Missa vertigines, & orientem spectare in ara & precibus. Circuitiones in Ecclesijs Honorius 1. instituit. Szeg. in Spec.

Circumferendi corpus Christi in cistula per vicos, ab Ethnicis mos venit, illi enim fecêre prius lautas in fonte virgines Iovis regis sacrum cistam circumferre. Plurarch. in narrat. amat.

Claves duas non absre Cabalistæ finxêre quæ Paradysum aperirent, illam argenteam, hanc auream: illa severitatem loci indicantes, hac elemẽtiam. ex hoc fonte Rom. Pontif. derivatæ sunt transversæ duæ, quas in clypeo depingit, ostendens facultatem habere se vt quos velit, excludat, reliquos admittat ad cœlum. vide marginales notas ad 1. Alcorani lib. fol. 21. cap. 2. Italice scriptum.

Cœlibatum ab Ægyptijs sacerdotibus mutuo capimus: illi enim castitatem inoffensam servarunt, sed castitas non solum generis propagationem, verum & risum, & vsum vini, pluraque etiam quæ sunt alioqui seria prohibet, salque interdicitur, vtpote qui caloris vi libidinem proritat. Plurarch. Decad. 5. Probl. 9. Symp. Cœlibatum atque orbitatem pœnis subjecit Augustus. Zasius ad L. Iuliam vel Papiam de maritand. ordinibus. Præmijs & provectibus magnis locupletat Papa. Paulus dicit melius esse nubere quam vri, Papa melius scortari quam nubere. Gregor. 1. contra cœlibatum sacerdotum, quem & ipse mandaverat, præcipit: cum enim cõperisset, quod clam libidines exercerentur, indeq; multi concepti fœtus trucidarentur, id mandatum abrogavit, dixitque melius esse nubere quam cædibus causſã præbere, nam cum aliquando in piscinam quandam pisces immisisset, inventa sunt in eadem sex milia submersorum infantium capita, quod videns ex violento cœlibatu prodijsse, ex imo pectore dolens, edictũ illud protinus revocavit. Nicol. 1. contrà dicebat,

vt

vt & alij, honestius scilicet esse pluribus occulte implicari, quam aperte in hominum vultu & conscientia cum vna ligari: ista vox vere nostrorum Papistarum est. Szeg. in Spec. Conjugium Sacerdotum probant Concilum Anchiutanum, de quo dist. 28. Constantinopolitanum, de quo dist. 31. can. quoniam. Nicenum, de quo dist. 31. can. Nicena. Gangrense, de quo dist. 30. Elibertinense, can. 33. Toletanum in Paphlagonia celebratum. Pugnant cum his Neocæsariense, can. 1. Chalcedonense, can. 16 Agathense, can. 39. Aurelianense, can. 17. Carthaginense V. cap. 3. Arelatense 11. can. 3. Averoicense, can. 22. ibid. Szeg. & Hieronym. contra Iovinianum, Cœlibatus priscis in vsu fuit, Hierophantes enim Atheniensium vsque hodie, cicutæ sorbitione castrari constat, & postquam in pontificatum fuerint electi, viros esse desinere: at papani Sacrifici ad nuptias viri non sunt, cætera rigidi satellites. Cœlibem vitam agunt Mysi & Esseni, & animantibus abstinent vt alij, qui Abij & Anymphi dicti sunt. & constat Sacerdotes Matris deûm Samia testa sibi virilia amputare, atque illos qui maxima sacra obibant, vt in casta religione manerent & procul à mulierum contagio vitam agerent, herbis quibusdam emasculari, & virilitatem amittere: vtque nulla nisi sacrorum maneret cura, nudique & vacui religioni intenderent, cunctarum rerum dominio se abdicare: quod jure pontificio cavebatur, cujus verba sunt. Ad divos adeunto castè. Pietatem adhibento. Opes amovento, qui secus faxit, Deus ipse vindex erit. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. Sacerdotes Papæ non solum ab vxoribus, sed & à scortis etiam abstinere tenentur, si postridiè Missa sit scarificanda: Lucius tamen 3. contrarium

ſtatuit, vt Miſſa concubinarij audiri poſsit, & ab eodem ſacramenta percipi. Sacerdotum conjugium damnant Syricius, Pelagius. II. Martinus. II. Agathon. Nicol. I. Ioan. XII. Leo. IX. Gregor. VII. Vrbanus II. Paſchalis. II. Calixtus, II. Honor. II. Innocent. III. Pius. II. eorum conjugia approbavit, nam inter proverbiales ſententias ſcripſit, ſacerdotibus magna ratione ademptum conjugium, majori reſtituendum videri. Szeged. in Spec. Pontif.

Cœmeteria hinc ſunt. Lycurgus omni ſuperſtitione ſublata, & vt vanæ ſuperſtitionis omnem evelleret è mentibus ſuorum formidinem, inhumari intra vrbem, & ſepulchra extrui circa deorum templa, nec viri nec fœminæ nomen licebat cuiquam ſepulchro inſcribere, niſi eorum qui fortiter in bello periiſſent. Lugendi tempus vndecim diebus finitum. I. Boem. Auban. lib. 3. cap. 3. de Gent. morib. Cœmeteria martyribus inſtituta à Fabiano ſunt. Cœmeteriorum libertas confirmata à Ioanne. 9. Szeged. in Spec.

Colitur tribus princeps Deus, adoratione, thuris ſacrificio, hymnis, & id vtique ter, ex totidem hæmiſpherij punctis, mane, veſperi, meridie. proinde legibus ſanciri pleriſq; novimus, exortum ab adorantibus ſpectandum, quod eſt Pythagoricis obſervatũ, nec Chriſtiana ſpreyit veritas. Triſmegiſtus ad meridiem converſus, id ipſum obibat: Moſes ludæique ad occiduã: ratio inde promi poteſt, quod ab oriente motus eſt diurnus: at Planetæ, quos eſſe Ptolomæi doctrina ſtatuit velut cæleſtium ſignorum animas, abocca ſua vertiginis ſumunt initia: ſed vivificum lumen à meridie per circuli redit obliquitatem. Adoratio, reverentiæ cultum exhibet. Thus ſuaviſſimæ

mæ cognitionis divinæ distributionem complectitur: hymnorum jucunditas, cœlorum refert concentum, vt Pythagorici sentiunt, nec tacuit Mercurius: vel substantiarum harmoniam separatarum in laude intellectuali, vt Peripatetici. Cæl. lib. 22. cap. 9. ant. lect. Hæc retinent papani, præcipuè clausträles, ter orant in die ad sonitum campanæ, oriens præcipuo honore dignantur, vt summam aram omnium fanorum oriens spectare adhuc videamus, thuris sacrificio, adoratione, hymnis colunt.

Collectæ, id est, primæ & vltimæ preces in Miſſa, à Gelasio instituuntur, anno 486. ex veteri Eleemosynas colligendi more. Tertull. in Apol. 39. Szeged. in Spec.

Collegium quid fuerit appellatum, in orat. de Aruſp. reſponſ. Cic. ſic oſtendit: Et verò domum meam, P. Lentulus Conſul. Pont. Max. L. Lentul. Flamen Martialis. L. Claudius Rex ſacrorum. S. Cæſar Flamen Quirinalis. L. Cornelius. Q. Albinovanus. Q. Terentius pontifices minores, omnes liberaverunt: ſicque & quinque ſacerdotijs majoribus collegium conſtabat: ad quam, vt videtur, imitationem collegium Romanæ Eccleſiæ cardinalium ex tribus majoribus ſacerdotijs eſt confectum, Epiſcopis videlicet, ſeptem vrbi Romæ propinquioribus, presbiteriſque, parochias vrbis principales, & Diaconis, paro chias item alias minores adminiſtrare ſolitis. Blond. Triumph. Rom. lib. 2.

Concipere nequeuntes mulieres adibant ſacerdotem templi Iunonis Lucinæ qui Lupercalibus præſuit, & is ante ſe denudatas proſtratasque flagello verberans hircinis confecto pellibus vt conciperent efficiebat. Blond. ibid. & ô quot fœcundiſſimæ

ſunt

sunt per omnem papatum sancti, qui opera sacrificulorum suorum, aut aliorum supposititorum, vt Anubidis quondam Romæ sacrificulus, ecclesiastico implerunt semine ventrem.

Confiteor Papanorum in Missæ Introibo, hinc est, apud Romanos moris fuit, vt qui rem divinam facturus erat, ad suam levandam culpam, se in primis rerum dicere debeat, & noxæ pœnitere, ac fateri admissum, vultumque submittere, & ad omnem modestiam fingere, deinde ipse, aut publicus præco præcedens sacra, hoc age, clamitet, voceque excitet populum, ac virga turbam summoveat, quæ commentaculum dictum est, silentiumq; indicit, ne mala vox obstrepat, neve quid triste auribus accipiat, & sacris favere, & intentos esse jubeat. Græcis autem ad sacrificium accessuris, hoc præfatur primũ, τίς τῶδε, hoc est, quis hic? qui vero interfuit sacris, referunt, πολλοὶ κἀγαθοί, multi & boni: nam polluti homicidio, aut sanguine infecti humano, hominesque turpissimarum sordium, sacris arcebantur, neve aras contingerent, aut sacrificio interessent, lege vetabantur. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. Blond. lib. 1. Romæ triumph. Confer hæc, & habebis in Papatu, Confiteor, Susurrationem Synedro in aurem ante Missationem, vultum ad modestiam fictum cum nutu & renutu, silentium, Commentaculum, à Diacono in celebrioribus Missis prælatum, in minoribus pro commentaculo tintinnabulum, & ne quid triste auribus accipiat. Amictu fecit aures ad exemplum puto Æneæ qui velato semper capite sacra obibat ab eo tempore quo præteriens Diomedes timorẽ illi incussit, & ne aut agnosceretur, aut sacra turbaret, velavit caput: Pro, Hoc age, substituunt, Sursum cor

da

dá, & silentium vt populo indicitur, ita & partem facit Missæ: & ne duris devoti interfint, cavetur. A Pontiano vel Damaso institutum est Confiteor. Szeged. in Spec. lege Macrobium ex Pauliniano referentem.

Confraternitatis seu Sodalitij nomen à Romanis est, illi enim teste Tacito, Tatios habuere Sodales, & Tranquillus agnoscit Sodales Augustales. Et Iulius Capitolinus Antonianos sodales, & Hadrianales sodales. Romulus item instituit Arvalium collegium. Hinc igitur non dubitanter dixerim nostros pontifices quu semper studuêre Romanos ad suas sectas ducere, homines ad hasce societates invitasse, quæ plurimæ per Papatum visuntur. Polyd. lib. 7. cap. 6. Invent.

Consecrare vicos, agros, regna, & fisco ecclesiastico addicere hinc est. Scribit Diod. Biblioth. lib. 16. anno sexto regis Philippi Macedonum, Amphictones damnasse Lacedæmonios & Phocenses, vt Thebanis ingentem solverent pecuniam: sed neutris multam exsolventibus, rursum dictum est, ni pecunia judicata persolveretur, vti Phocensium agri consecrarentur Apollini, & juris divini fierent. sic recusantes parere, bullis excommunicatos, privat bonis papa, & aut occupanti concedit per Croisadum, vt vocant, aut juris ecclesiastici, aut vtriusq; jubet esse. Raymundus Tolosates. Regna Angliæ, Navarræ, &c. testatam hanc rem faciunt. Lege Ioan. Eourneri traductionem historiæ Tolosanæ, ibique impressæ anno 1562. Cic. contra Rullum. Zasius ad. L. Papyriam de sacrandis agris.

Contumeliæ & impudicitiæ aras sacrarunt Athenienses, vt à contumelijs & probris averterēt. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13. & in papatu Susanna omnem

in

in vita cultori tollit ignominiam. Buling. cap. 34. lib. de Orig. cult deor. erron.

Convivia funebria Cecrops primus instituit prudenter, vt amici amicitiam fortasse remissam renovarent, & pro vno defuncto acquirerent his mediis plures amicos, denique vt se invicem solando levius ferrent tristitiam ob defuncti mortem, parabatur convivium à proximo consanguineo, & dicebatur apud Athenienses περὶ δεῖπνον, Suidas super hoc verbi. Pollux. Onomast. lib. 8. Guichard. lib. 2. cap. 6. Funeral. remansit hæc ceremonia in moribus nostris. in Anglia autem, vt alibi dixi, ita strenuè hanc curam obeunt, vt viliori pretio constet elocatio filiæ, quam vxoris mortuæ inhumatio. & Val. Max. lib. 2. cap. 1. dicit, Massilienses post defunctum humatum sacrificare, & convivium in domo mortui parare amicis & parentibus consueverunt.

Convivia festis diebus adhibere, à Romanis est. Polyd lib. 5. cap. 1. Invent.

Coronæ floreæ januis affixæ hinc fūt. Εἰρεσιώνη, ramus oleaginus lana obvolutus arborum fructibus circumpendentibus, qui ante januas ædium poni erat solitus in honorem Apollinis, aiunt Theseum in Cretam navigantem, cum vi tempestatis ex Delo solvere non posset, illum obtulisse Apollini contortis ramis oleaginis, quare sospes Minotaurum obtruncavit, & consecravit hunc supplicandi ritum: sunt qui aliam dent ritus caussam, vide Suidam Aristoph. interpretem, & Baptistam pium ex Plutarcho.

Coronis tribus Imperatores Romani vltimis temporibus inaugurabantur, prima erat argentea, sub custodia Aquisgranorum in Germania. Secunda ferrea, penes Mediolanos erat, tertia, imperiale est diade-

diadema, quod Episcopi Romani custodiebant, post hos Papæ: qui jam tribus in vnam cooptatis suo ipsorum capiti imposuerunt, imperatoribus de statu dejectis.

Coros est Græcis satietas, abundantia, genialiter vivere. Plutarch. de signific. dictionis &. Hinc Papæ chorus, sodalitatis officina, vbi ad satietatem boatus, cantus & pergræcatio inveniuntur. Chorus vt alternis Psalmos caneret Damasus instituit, alij synchrono ejus Ambrosio hoc dant; at ex vsu foret religionis, ejusmodi graculos è templis ejicere, & dixerim ejusmodi cantica bene magna ex parte ad similitudinem veterum ceremoniarum esse: apud veteres enim ad symphoniam sacrificabatur, teste Livio lib. 9. vbi ait, tibicines solitos præcinere sacrificijs. Numa Pompil. musica vsus est in aris. Alterni cantus in templis institutor Flavianus Episcopus Antiochenus est. Szeg. in Spec.

Corporale ex lineo panno, & quidem purissimo, fit ex falsa persuasione & facti Iosephi imitatione in sepultura Christi. id Sixto. 1. adscribitur. Szeg. ibid Alex. ab Alex. ait, lib. 4. cap. 17. Sacerdos autem, & qui victimam facit, pura in veste & candida (nam color albus Deo gratus in primis) in textili tela, nec majoris operæ quam menstruæ, nonnunquã in purpura & auro: omnia retinet Papatus, nisi quod putem sacrificulorum nostrorum non ita brevi tempore vestes aureas & lineas confici posse.

Crisma hinc est. Politia Mosis confirmat electionem regum & Leviticorum oleo sacrato: at papatus non tantum hoc balsamo inaugurat reges, rasos & moribundos, sed & hoc vocato Crismate fugat dæmones. Wier. lib. 4. cap. 18. de Impost. dæmon. Alex

lex. textu extra in c. aqua sale conspersa. De Conf. dist. 3. Chrisma ex ritu Levitico. Levit. 8. invngitur autem nunc puer in fronte, vertice, inter scapulas, & in pectore. lege dist. 4. de Gonf. can. venisti postquam accepisti, vt baptizatus ab Episcopo crismate confirmaretur. Clemens. 1. instituit, & Sylvester. Szeg. in Spec.

Crux rubra cum insignijs pontificijs medio in templo constituta atq; erecta ad similitudinem crucis dominicæ, non minus ad abolenda peccata valet, quam crux ipsa Domini nostri Iesu Christi. Tecelius de Indulgentijs. Crux honorari cœpit Constantini tempore. Crucis in corde & fronte signacula ex Ezechielis loco perperam intellecto. Signa, inquit, Taph in frontibus virorum. Vide dist. 11. can. ecclesiast. & de consecr. dist. 4. can. postea. Adorationem crucis Greg. 1. instituit. Crucis inventio à Iuda, qui post baptismum Cyriacus dictus est, sub Eusebio refertur, ab alijs sub Sylvestro.

Cruces in trivijs, vt fere è fit, peregrinatores papani, vt & alij superstitionibus addicti, obuias precantur, capite aperto & genu flexo venerantur, plures prostrati adorant, valuas fanorum & clavos ostiorum non solum flexis genibus salutant, sed & osculantur, ac ego vidi fieri in Burgo Bressiæ seu foro Sebusianorum ad monasterium Iacopinorum anno 1583. à sex peregrinatoribus, partim Anglis, partim Gallis, illorum mortalium Anglis, quos reliqua syncerior patria Seminarios vocat, dum Roma Lutetiam migrant, ducta consuetudine ab illo Apulei, lib. 1. Florid. vt fere religiosis viantium moris est, cum aliquis lucus, aut aliquis locus sanctus in via oblatus est, votum postulare, pomum apponere,

pau-

pauliſper aſſidere. Cæterum cruces, vt dixi, lapideas aut ligneas in trivijs ſubdunt papani Stelis, vt Plinio & alijs placet, veterum, ſeu columnis, ſeu pilis lapideis, quæ erigebantur ad rei alicujus memoriam via militari.

Cuculli monachorum à pigmentarijs vel meretricibus veniunt, illi enim tegmentis papyraceis quibus pharmaca coronant hoc nominis dederunt. Martial. lib. 3. Vel thuris piperiſue ſis cucullus. iſtæ capite hoc veſtimenti genere obtecto vagari nocte ſolebant ad meretricios quæſtus. Iunen. Sumere nocturnos meretrix auguſta cucullos.

Culullus calix erat fictilis quo in ſacris vtebantur virgines Veſtales. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 12. indo calix Mulſifer, qui ad prioris inſtar etiam ligneus aliquando fuerat in Eccleſia Chriſtiana, donec Sixtus anno 440. omnes fecit aureos.

Curias fecitſua fana papa, in quibus, temporibus poſtremis, reges & imperatores clavum regnorum accipiunt, & inaugurantur, ac olim Latini reges. Virg. 5. Æneid.

Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſces,
Regibus omen erat, hoc illis curia templum.

Curiones à curis, quibus macilentiores erant, denominati ſunt. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 9. fruſtra hinc petimus noſtros curiones parochiales, qui curis omnibus vacui, genio tantum indulgent, & pinguedo teſtis eſt. Sed ex Livio Decad. 1. Curion ſacerdos erat, qui in ſua curia, id eſt, parochia, ſacris præerat, hinc ſuos Papa habet curiones: aut à Græco cura, quod raſuram & tonſuram ſignificat, veteres enim curiones ad morem Babyloniorum, & pontificum Herculis caput radebant, ideo

ideo Stephanophores dicti. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8.

Custodes varios (ait Symmachus in relatione ad Valétinianum, Theodosium & Arcadium Augustos pro veteri deorum cultu adversus Christianos) vrbibus, & cultus mens divina distribuit: vt animæ nascentibus, ita populis fatales genij dividuntur. Sic Papa populis & vrbibus consimiles fabricat cultus & genios custodes & defensores, vt Scotiæ Andream. Angliæ Georgium. Galliæ Dionysium, &c. Edinburgo Egidium, Aberdoniæ Nicolaum, &c.

D

DEcimas Herculi dare mos fuit. Liber pater post devictos Scythas magno Iovi rerum primitias obtulit. Ovid. 3. Fast. Cyrum victis Lydis decimam prædæ dedisse Iovi testatur Herodot. Dionys. Halycarnass. ait lib. 1. antiq. Rom. Iovem & Apollinem ob intermissas hominum decumas sterilitatem agris & siccitatem fluminibus, animalibus & hominibus immisisse, donec decima sit reddita. Polyd. lib. 5. cap. 8. Invent. δεκάδα, hoc est, decimam partem omnium frugum Leviticæ tribui populus Israeliticus ex lege debebat. Decimæ sacerdotibus datæ sub Paschali. 2. Szeg.

Dedicare fana Felix. 3. Episcopos suos jubet, daque diem festum huic operæ anniversarium: & à Iudæis hoc cæremoniæ est teste Iosepho. Polyd. lib. 6. cap. 8. Invent. etiam apud Romanos à consule aut imperatore accenso foculo cum tibicine verbis priscis & solennibus, præfante vero pontifice Max. carmen, capite velato, & concione advocata, ac jussu populi consecratio facta est: poste à larum ad populum

pulum fuit, plebſque ſcivit, vt in templi conſecratione aræ vc, etiam juſſus Senatus, tribunorumq; plebis major pars interesſet: in quo illud ſeruatum eſt, ne vna cella duobus dijs dicaretur: fuitq; Platonis ſententia, vt deorum delubra nemo privatus conſtituat, &c. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 14. Cic. pro domo ſua. Livius. 9. Dedicatio templi cum ſolenni ceremonia ab Higinio & Felice 2. eſt. Szeg. in Spec.

Degradatio Sacerdotum Miſſificatorum ob ſcelus perpetratum ad exemplar veterum, ait enim Guichard. cap. 11. lib. 1. Funeral. Pontifices Romani veteres Veſtalem impudicam develarunt, coronam capiti auferebant, virgis cædebant, ad currumque nexam ad campum ſceleratum deferentes defodiebant, quam vbi lictores ſolviſſent, pontifex ſacris exſolvit.

Deos patrios dixere, qui ſingulis vrbibus præſunt, illarumque præſides & propugnatores ſunt, vt Apollo & Minerva Athenis, Thebis Bœotijs Liber & Hercules, Iuno Carthagini, Venus Cypro, & Papho, Apollo Rhodijs, Tænaro Neptunus, Cretenſibus Diana, Romanis Mars, &c. neque ſolum inſignes vrbes conſpicuæ magnitudinis, ſed oppida pene deformata, & modici vici, ne hoſtili vaſtarentur incurſu, patrios deos coluiſſe feruntur: ſiquidem Cruſtumenij Deluentinum peculiarem habuere. Narnienſes Viridianum. Aſculani Ancariam, Sutrini Nurciam, &c. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 4. ad gentium normam revocant & ſuas cogitationes papæ, qui dum cum animo ſuo reputant quanti ſit res momẽti & quam grata hoſtia culinæ hæc deorum tutelarium pluralitas, fabricatũr & ipſi colendos deos mõtium, terrarum, regnorum, vrbium, prædiorum, villarum,

larum,&c. Andream Burgundiæ,&c. Romæ Petrum & p arti Italiæ, &c. Brigidam huic pago, illi Duffum, &c. Reynald. Scot. de Revel. Mag.

Deos ſummos dixêre, ait Plato in Apolog. & Epinomide, ampliſſimam rerum providentiam habere: ſub his in cœlo quoſdam conſpicuos eſſe, tertio loco infimoque dæmones, horum genus vnum ex æthere, alterum ex aere eſſe, aliud verò quod ex aqua eſt, recte ſemideum vocabimus. Præter tria hæc dæmonum genera, Plato quoque Heroas inſtituit, lib. 4. de leg. poſt deos iſtos, inquit, dæmonibus vt mentis compos ſacrificabit, heroibuſque poſt dæmones. Heroas extimorum hominum animas eſſe definiunt, à corporis nexu ſejugatas, & liberas, quos Plato dæmones promiſcuè appellavit: hos latini ex officijs diſtinxerunt, qui adminiſtrandis regionibus præſunt, dij patrij, penateſque, qui pacato & quieto numine domum poſſident, Lares: aut ſi quando terrorem incutiant, Larvæ: qui verò nobis ſingulis aſtes & cuſtodes addicti ſunt, Genij appellantur: & Papa habet ſummum deum, angelos pro genijs, ſanctorum animas pro heroibus, & dæmonum omnia genera, hos ex aqua ejicit exorciſmis, alios ex aere verbo & campanarum baptizatarum fragore, &c. ſic & Papa & Plato mutatis nominibus idem curant.

Dextra data, acceptaque invicem Perſæ & Aſſyrij fœdus matrimonij ineunt. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5. papatus retinet.

Dexteram in adorando veteres Romani ad oſculum referebant, totumque corpus circumagebant, quod in dæxum Galli majori cum religione ſe facere putabant. Plin. lib. 28. cap. 2. nat. hiſt. & Epiſcopi noſtri manum averſam ad oſculum adorantibus

præbent,

præbent, sacrificuli Missantes patinam exosculandam offerunt: rotatio corporis & versio vtraq; nunc ad dextram, nunc ad lævam in Missæ scarificatione retinetur.

Devovendi execrandique modum fingunt papani ad exemplar Druidum Scotorum, qui, si quis aut privatus aut publicus eorum decreto non stetisset, sacrificijs interdicebant: hæc pœna apud eos gravissima: quibus ita est interdictum, ij numero impiorum, ac sceleratorum habentur, ab ijs omnes decedunt, aditum eorum, sermonemque diffugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque ijs petentibus jus redditur, neque honos vllus communicatur. Cæsar. lib. 6. Comment. eodem prorsus modo papani, sed & hoc addunt ex suo, quod dent in prædam diris devotos invadere volenti, & publicent tam corpora quam bona.

Diaconi pontificij respondent Levitis Iudæorum, & Subdiaconi Nathinneis. Polyd. lib. 4. cap. 5 Invent.

Digamus ne ad sacerdotium admitteretur Syricius decrevit, & à priscis est, teste Servio enarrante illud Virgilij. 4. Æneid: Huic vni forsan potui succumbere culpæ, vbi ait, culpæ, propter antiquum ritum, quo repellebantur à Sacerdotio bis nuptæ. Syricius bigamos à Missæ scarificatione summovit. Gelasius eos ad sacerdotium admisit, lege dist. 22. & 26. & Platinam in vita Syricij. Szeg. in Spec.

Duplex majus, seu festa majora habet papatus, omni delitiarum genere instructa, quia vidit veteres habere Teletas, seu mystica, seu majora festa, quoniam non citra grandiorem impensam fierent sic dicta. Cæl. lib. 7. cap. 2. ant. lect.

E

EBrietati & gulæ indulget Papa diebus suis festis: nam ampliùs largiusque rei divinæ causſa invitare ſe credebatur fas, vnde & μεθύειν inflexum Ariſt. putat, quod ebrij fierent, μετα τὸ θύειν, id eſt, poſt ſacrificiũ: quin dapes & convivia dictitabant θοινας, à θεὸς & οἶνος, veluti deorum gratia ampliꝰ indulgendum foret. Cæl. lib. 7. cap. 2. ant. lect.

Ecſtatici monachi (imitatione eorum qui volebant affiari delphico ſpiritu inſidentes tripodi) qui volunt eſſe in aparatu & præambulis viſionum quæ tota res via ad viſiones dicitur, jubentur ſe collocare ſuper ſtorcam in qua alius frater ecſtaticus dormiuiſſet. Cæl. Curio paſq. ecſtat. pag. 26.

Electio Pontificis & ſacerdotum. Sacerdotibus legem promulgant. C. Lacinius Craſſus, Q. Fabio Æmiliano, & Hoſtilio Manemo. Coſs. anno V. C. ſexcenteſimo nono, vt ſacerdotes non à collegijs coaptarentur, ſed per populum fierent. & Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8. ait, Cumque ad collegium pontificum pertineret in demortui locum, alium cooptare, Cn. tamen Domitius Trib. Pl. offenſus collegio quod ſe in numero pontificum non cooptaſſent, jus ſubrogandorum pontificum, ſacerdotumque à collegijs ad populum tranſtuliſſe fertur, ipſeq; pontifex Max. primus populi ſuffragio, alijque deinceps creari cœpere. Sunt qui credant Licinium Craſſum de cooptatione collegarum ad populi beneficium transferenda, legem tuliſſe primum: inde comitia à populo pontificibus creandis ſæpe indicta fuere. Hæc ille. Hadrianus. 1. Leo. 3. jus eligendi pontificem Carolo Gallorum & ſucceſſoribus ejus dederunt

runt. Stephanus verò. 4. Hadrianus. 3. item Sergius 2. pontificis Romani eligendi jus imperatori abrogant, ac vt pontificem eligendi jus penes clerum, senatumque, ac populum Romanum sit decreverunt: postea sub Leone. 8. pontificis eligendi potestas clero & populo Rom. sublata imperatori rursum atque Italiæ Exarchis data est. Deinde Imperatori ac Exarchis, civibusque Rom. adempta, solis Cardinalibus concessa est: Pontifice Alexandro. 2. deinde electio & penes Mathildam meretricem fuit: per hanc enim Victor. 3. & Vrbanus. 2. pontificatum adepti sunt. Antherus instituit, vt nisi Episcopus fuisset prius, summus pontifex fieri non posset. Constantinus autem. 2. & Benedictus. 8. conditione Laici fuere. Szeg. in Spec. Hanc rem habet Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8. sic, Diuque Romæ pontifex, qui antea curuli sella non sedisset, nemo creatus fuit: donec lapsis temporibus, etiam qui nullos curules gesserant magistratus, ad pontificatum admisere: primus enim T. Coruncanus ex plebe homo pontificatum maximum meruit.

Elevationes in Missa ex ritu Levitico, Levit. 8. armus enim animalis debuit elevari à sacerdote: institutum hoc Honorij. 3. est, vt est in Decret. Greg. lib. 3. tit. 41. can. sane cum. Szeg. in Spec.

Elicere Iovem è cœlo conatum esse Tullum Hostilium legimus ex præscripto librorum Numæ, in Cæl. lib. 9. cap. 14. ant. lect. quem & inde Elicium vocabant, sed cum parum ex formula quædam obisset, de cœlo ictum, atque cum domo deflagrasse. Cui simile quiddam & paparum vana superstitio habet, cum dicant Summi patris filium & verum ex Deo deum præfatione sacrificuli brevissima evocari, elicique

cique ex cæleſti aula, vt non ſolum ſit deus, ſed farinaceus deus, ſeu ex farina deus & homo: ſed quia hæc parum ex formula divini verbi obeunt, pene conflagravit & evanuit noſtro ſeculo ineptia hæc.

Enſem Martis qui juxta Boryſthenem ſunt Nervi pro Martis ſimulachro adorabant: Scythæ illi inhoſpitales, qui in intimas ſolitudines æſtu ſunt, ſuper ſarmentorum faſcibus vetuſtiſſimo collato acinaci, velut Martis ſimulachro, annuis hoſtijs litabant. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 26. & aliæ gentes alia aut animalia dilecta, aut quæ quondam pro inſignijs vivi habebant, coluerunt: ſic in papatu adorant nonnulli caligam Joſephi nutritij domini, alij calceos Thomæ, alij ocreas Martini, alij enſem Georgij, alij vaginam alij mulierum cincinnos, veſtes, cingulos, camiſias, obſoleta ſtrophiola, & ſudariola quædam mutcoſa, imo incognita quoque mortuorum oſſa: aiunt in vrbe quadam Liguriæ ſervari inter reliquias caudam aſini, cujus meminerunt Evangeliſtæ: illa vero gemmis & auro incluſa oſtenduntur, & à plebe adorantur ſtulta: rectiſſimè ergo Eraſmus Roterodamus in Eccleſ. ſuo, Deformæ exemplum eſt, inquit, pharmacopolarum, qui menſa in foro poſita oſtentant dentes eductos, lapides è veſicis exectos, diplomata magnatum quos à morte revocarint, magnaque vanitate, declarãt ſua præclara geſta turpis lucri cauſſa: horum non ſunt diſſimiles quos nimium diu tulit mundus, qui circumferunt reliquias & ſtatuas Sanctorum, ſumma impudentia jactantes miracula quæ nunquam geſta ſunt, & interdum pluſquã ſcurrili impudentia fœnum aut ſtramenta ex lætima foraſſis aut horreo ſumpta, offerunt ſimplicibus obſtulanda: oſtendunt carbones foco ſumptos, mentien-

tes

tes his assum fuisse Laurentium. Buling. cap. 3. lib. de Orig. cult. deor. & simulachr. erron. Porro sub animalium effigie videmus Papatũ colere quatuor Evangelistas: præterea Catherinæ ensem & rotulam, & infinita his similia, vt & Suem sancti Antonij, etiam vivum.

Epilepsiam veteres Herculi commendarunt, vt in alijs curaret quod in se non potuit, nunc Valentinus Herculeo morbo laborantibus & spumantibus auxilio esse dicitur. Buling Orig. cap. 34. alij creduntur tres, vt vocant, Coloniæ Agrippinæ reges huic malo fascinationem facere, hinc sunt papistici hi versus.

Gaspar fert myrrhã, thus Melchior, Baltasar aurum
Hæc quicunque trium fert secum nomina regum
Solvitur à morbo Domini pietate caduco.

Episcopus Papanus Flaminibus gentium sacerdotibus succedit. Archiepiscopus Archiflaminibus. Polyd. lib. 4. cap. 12. Invent.

Equorum pro incolumitate vota Hipponæ faciunt veteres. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 22. In papatu Eulogius equorum deus est. Buling. Orig. cap. 34.

Exorcismus, & exsufflatio in baptismo, quibus putant spiritum immundum ejici, ex prava imitatione facti Christi. Ioan. 20. nascitur. de exorcismo lege de Cons. dist. 4. can. siue parvuli: item, Dehinc. Szeged. in Spec.

Expansiones in Missa ex hypotyposi crucifixi Christi, hi enim denuo Christum crucifigunt. Szeg. ibid.

F

FAbis Romani sæpius in sacrificijs funeralibus operati sunt, nec est ea consuetudo abolita alicubi inter Christianos, vbi in Eleemosinam pro mortuis fabæ

fabæ distribuuntur. Guichard. Funeral. lib. 1. cap. 9.

Fabrorum deus Vulcanus fuit ferrariorum, nunc in papatu commutarunt Vulcanum cum Eulogio, Buling. Orig. cap. 34. Sed quia Bulingerus dedit nuper equis Eulogium, melius est cum Scotis sentire, qui sub papatu olim hisce fabris dederunt Aloisium quem colerẽt, vt & reliquis qui malleo vtuntur.

Faces ait Servius ad 5. Æneid. quondam populum honoris caussa in funere gestasse. Virgil. 11. Æneid.

Arcades ad portas ruere, & de more vetusto
Funereas rapuere faces, lucet via longo
Ordine flammarum, & late discriminat agros.

Hanc consuetudinem retinet Papatus, faces in supplicationibus. Virg. 8. Æneid.

Iamque sacerdotes, primusque Potitius ibant
Pellibus in morem cinctꝰi, flammasque gerebant.

Faces ardentes per agros circumferre prid. Calend. Martij. vt in Vmbria hodie & in Germania solent, à Cerealibus veterum est, quibus cum facibus currere ad agrorum fœcunditatem obtinendã mos erat. Polyd. Virgil.

Faces ad festum Divi Petri noctu Scoti in montibus & altioribus locis discurrentes accendere soliti sunt, vt cum Ceres Proserpinam quærens vniversum terrarum orbem perlustrasset, facibus ex Ætna Siciliæ monte accensis, ad illius imitationẽ Siculæ mulieres vel viri, per noctem cum accensis facibus vociferantes, Proserpinamque invocantes discurrebant, quare tædiferos antistites appellauit Strabo. Lib. 10.

Fascinationes saliva jejuna repelli, veteri superstitione creditum est. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27. an

ideo

ideo ſacrificuli ſputum aquæ baptiſmi immiſcent? In Africa reperiuntur familiæ, quæ ſola voce effaſcinant, ſi quid impenſius laudaverint. Plin. lib 7. cap. 2. ex Iſogono & Nymphodoro. hinc etiam apud nos conſuetudo inolevit (quam Ariſt. ſect. 20. probl. 34. teſtatur) vt aliquid laudaturi præfentur, ne verba noſtra nobis obſint, vt deus id conſervet. Gellius lib. 9. cap. 4. eſſe ejuſdem generis in Triballis & Illyrijs, adjicit Iſogonus, qui viſu quoque effaſcinent, interimantque quos diutius intueantur, iratis præcipuè oculis, idque malum facilius ſentire puberes: Plin. ibid. ſi vnquam alibi præcipuè & pertinaciſſimè in Anglia obſervatur, ne quis equum vænalem laudet priuſquam deum præfetur. puerorum faſcinatio omni papatui celebris eſt. Vide Exorciſmus.

Fato quædam, at non omnia tribuunt Phariſæi. Ioſeph. lib. 2. cap. 7. belli Iudaic. & lib. 13. cap. 9. Antiq. & Papatus ſimiliter quædam divinæ providentiæ concedit circa ſalutem humanam, reliqua ſibi præſtanda retinet. Phariſæorum variæ fuêre ſectæ nominibus ab invicem diſtinctæ. And. Oſiander in cap. 15. Harmon. Evang. ita monachatus Papæ in ſuas ſectas & nomina ſcinditur: & Franciſcani variæ ſunt ſectæ, varia nomina, &c.

Febri deæ triplex fanum Romæ fuit, vnum in capite vici longi, alterum in palatio, tertium juxta Mariana monumenta, cujus adhuc extare veſtigia plerique aſſerunt. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13. Papani febrem pro morbo, non pro dea agnoſcunt, & illi aſſignant Petronillam Apoſtoli Petri filiam, ſub cujus tutela ſit. Buhing. Orig. cap. 34.

Ferales epulas, quæ in viſu noſtro ſunt, vide apud Ovid. lib. 2. Faſt. Lavaret. 3. parte de Spect. & Apul. lib.

lib. Florid. 4. pag. 30. Epulas ad sepulchra Sanctorum deferendi mos præcipuè invaluit in Africa, sicut August. lib. 6. Confess. testatur: matremque suam refert ad memorias Sanctorum attulisse Mediolani pultes, & panem, & merum, dedisseque ostiario, sed hæc Ambrosius fieri vetuit, ne vlla occasio daretur ebriosis se ingurgitandi: & quia illa quasi parentalia superstitioni gentium essent simillima. Lud. Viues in lib. 8. August. de Civit. dei, cap. 27.

Ferculo aut capso incluſus Iuppiter aut Anubis circumferebatur à sacerdotibus Albis indutis, & capitibus rasis corona cinctis. Lamprid. de Relig. veter. Roman. Apul. lib. 11. Metam. pheretrum præcedebat cerifer tædam accensam gestans: stationes fiebant omniversum in vicis. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27. templa patebant interim, aræ & simulachra thure fumificabantur, sacra toreumata reliquijs adornata religiosè visuntur, justitium publicum indicitur, cessat forum, tabernæ mercatorum & opificum occluduntur, jam cum alijs Papæ supplicationibus cõsidera festum Corporis, vt vocant, Christi, & omnes graphicè hic depictas habes, ita vt non sit in illis ceremonia, quæ in his non sit.

Feriarum publicarum quatuor esse genera voluit Varro: aut enim Stativæ sunt, quæ certis diebus ac mensibus: aut Conceptivæ, quæ quotannis à Magistratibus, vel à sacerdotibus accipiuntur in dies, vel certos vel incertos, aut Imperativæ, quas consules vel prætores pro arbitrio indicunt. erant præterea feriæ propriæ familiarum, erant singulorum, vt natalium, funerum, &c. Blond. lib. 2. Triumph. Romæ. & has omnes sui juris fecit Papatus, nam ait Tertul. lib. de milit. coron. nostri illis ipsis diebus oblatio-

nes

nes faciebant, in temploque vnà epulabantur. habet enim Papiſmus Stativas in honorem Pauli, Margaretæ, Brigidæ, &c. Imperativas pro arbitrio, dum fauſtæ acclamationis aliquid contingit Eccleſiæ, vt vocant, Matri. Conceptivas habet aut de novo Canonizatorum, aut mutati Iubilæi &c. aut Indulgentiarum noviter impreſſarum ergo. familiarum natalium & funerum feſtis vt videmus aras in fanis erectas, ita & dies dicati ſunt. Nundinas adhuc videmus vrbium & vicorum dijs & deabus exhiberi. Decimales ſuperſtitioſè ad miraculum à monachis obſervantur, qui hoc commento grandem hæredibus pecuniam, & alia extorquent. Natalitiæ, etſi Nicenæ Synodi decreto ſublatæ, tamen quibuſdam principibus in vſu ſunt, qui adhuc reliquias papiſmi ſpirãt. Alex. ab Alex. ita melius quatuor feriarum genera diſtinguit: Sunt enim ſtatiuæ, quæ ſtatis diebus ac menſibus ſervantur: vt Saturnalia, Lupercalia, Agonalia. Conceptivæ quæ in diem certam à pontifice vel magiſtratu concipiuntur, vt Latinæ, Sementinæ, Paganalia, vel Compitalia. Imperativæ, quas Conſul, prætorve, aut pontifex maximus pro arbitrio indixit. Nundinæ vero ſemper paganorũ habitæ ſunt feriæ. cum ergo has omnes Papatus habeat, hoc differentiæ eſt, quod quæ poteſtas antiquitus erat penes magiſtratum & pontificẽ indicendarum feriarũ, vni ſibi nunc reſervat Papatus, magiſtratu repulſo.

Ferijs non licet Regi ſacrificulo, Flamini videre opus fieri, & ideo per præconem nunciabatur, ne quid ageretur. Blond. Triumph. Rom. lib. 2. & vt gravibus pœnis ſacrificuli noſtri animadverunt in contemptores feriarum, ita & campanarum fragore ne quid operis fiat pridie feſti indicitur.

Feſta

Festa Thesmophoria, id est Cerealia. prima enim Ceres hæc invenit. his respondent in papatu lustrationes agrorum mense Maio.

Festis Megalesijs colebatur magna deorum mater: huic succedit festum beatæ Virginis Mariæ matris Domini nostri Iesu Christi.

Figulis nisi dederis pro Heroe, Agathoclem regem Figuli filium, non habet, quantum legi, ex vetustate alium, nisi sit Prometheus qui ex molli luto primus hominem effigiavit, aut Venus Myrtea, quæ teste Blond. Instaur. Romæ lib. 3. ex Marco Varrone, inter figulos, qui vno in loco Romæ habitabant, fuisse dicitur. Buling. cap. 34. Orig. jubente Papa dat illis deum, qui barbaro quodam nomine & horribili pictura terribilis est, nam Goar dicitur (id quod ex ramis Aristophanis, aut Homeri Batrachomyomachia petitum videri poterat) & dæmonem atrum micantibus oculis, humeris gerit frementem, & olla sævè tumultuantem.

Fimbriam albam quòd viduæ papatui servientes nigræ vesti adsuant, ex Numæ instituto est. Plutarch. in Problem.

Flagellantium seu pœnitentiariorum secta ita est. Sub Othocaro Boemorum rege irrepserant ex Saxonia complures in Boemiam cum peregrina religione, Lupercali haud multum dissimili, nam vt nudi Luperci currebant, ita isti vmbilico tenus nudati ambulabant, lora manibus gestantes, quibus terga sua, non autem vti Luperci vultus sanguine fœdabant: per hæc februari se, purgarique, perinde atque baptismo sanguinis docentes. Magnus ad illos Sicariorum, adulterorum & aliorum perditorum vtriusque sexus hominum siebat concursus: sed habitum om-

nes,

nes, non autem mores mutabant, imo pleraque prioribus deteriora patrabant. Rex alios igne combussit, alios aqua submersit, plures regno exturbavit. Dubravius lib. 17. Flagellatorum sectam diplomate dānauit Clemens. 6. Vide Cædentes.

Ad Flaminium assumptus, è patrio jure immunis confestim & sui potens est. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 12. ad hanc normam & omnes cujuscunque ordinis sacrificuli in papatu sunt compositi.

Flammam transiliendi mos videtur etiam priscis Græciæ temporibus vsurpatus fuisse, deque eo versus Sophoclis in Antigone quosdam intelligendos putant: Cum enim rex Creon Polynicis cadaver humare prohibuisset, Antigone autem ipsius soror illud humo contexisset, custodes, vt mortis pœnam à rege constitutam vitarent, dicebant se paratos esse ferrum candens manibus contrectare, & per pyram incedere. Hotom. disput. de Feudis. cap. 44. hic mos Gallis, Germanis, & post Christianismum remansit etiam pontificibus: & adulteria vxorum ferro candente probant Germani. Æmil. lib. 4. Marull. lib. 5. cap. 1. Cranzius lib. 5. Norvegiæ cap. 6. ex Saxonis lib. 13. Hermoldus cap. 84. Aventin. lib. 4. Annal. Boiorum. & Vascones accensis ignibus in vrbium vicis vidi per medios saltare ad festum Ioanni sacrum in æstate: et qui sunus antiquitus prosequuti fuerant, ad proprios lares reversi, aquâ aspersi, ignem supergradiebantur, hoc se piaculo ex funere expiari arbitrati, quod expiationis genus, suffitionem dixere: cujus rei causa ferias sæpe indixerunt, quæ denicales dictæ. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

Flores & serta educto cadavere certatim injiciebant Athenienses. Guichard. lib. 2. cap. 3. Funeral.

neral. retinent Papani morem.

Floribus & foliis spargere plateas ante ædes læto tempore mos fuit. Plaut. in Sticho. papani supplicationū & aliorum festorum tempore idē præstant.

Floribus, coronis, aulæis templa deorum exornantur, & nubentium ædes. sic Virgil.

Nos delubra deûm miseri quibus vltimus esset.
Illa dies, festa velamus fronde per vrbem. & alibi,
Et varijs florentia lumina sertis.

Terrull. ait, quid? quod Martinus. 1. Rom. Pontif. hæc eadem quæ in canonicis decretis. Can. 26. quæst. 7. scripta leges, & testatur, & vetat. Polyd. lib. 5. cap. 1. Invent.

Fœcunditatis subsidia petunt Iudeæ mulieres à Baelphegor, id est, Priapo. Oseæ. cap. 9. Adonidem Veneris amasium inuocant apud Ezechiel. cap 8. & Papanæ Mariam Virginem, & alias. Lemnius de occult. nat. mirac. cap. 9. vide Concipere.

Fœminæ sacris Carthusianorum arcentur, sicut in quibusdam sacris veteribus, quemadmodum Paulus ex Festo scriptum reliquit, clamabatur, hostis, vinctus, mulier, virgo exesto. Minutius Felix in Octauio, nonnulla absque fœminis sacra sunt. M. Cato lib. de re rust. cap. 83. post traditam formulam voti, quod pro bubus vt valeant, fieri debeat Sylvano, mulier, ait, ad eam rem ne adsit, neve videat quomodo fiat. Herculano pariter sacrificio abstinuisse mulieres. A. Gell. lib. 11. Macrob. 1. Satur. cap. 12. tradit, quod & Sextus Aurelius Victor in Orig. gent. Rom. refert, & Propert. lib. 4. Eleg. 9.

Fœminæ ad sacellum in templo S. Crucis Romæ, quod est ad magnum altare, non admittuntur, ducto ab Ethnicis more, apud quos Acreæ Veneris

templum

templum mulieribus nec videre nec adire fas erat: sicut Eunosti fanum in Tanagra adeo mulieribus interdictum fuit, vt si quo infortunio Tanagræi opprimerentur, diligenter inquireret, ne qua mulier consulto aut casu templo appropinquasset. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 2. Sed & à Minervæ fano Iuvenal. Satyr. 2.

Sed more vetusto
Exagitata procul non intra fœmina limen,
Solis ara deæ maribus patet. ste prophanæ,
Clamatur.

Fortunæ virilis templum extra vrbem ad Tyberis ripam est, in quod mulieres quæ dabantur nuptui, frequentes ventitabant, & corpore invelato singula membra, ne quo morbo vitioque affectæ forent, aut labe aliqua tenerentur, detegebant. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13. & apud Pictavienses Papanos in oppido Auris, consuetudo est, vt vir retracta veste virilia inculpata futuræ sponsæ & conventiculo amicorum probet.

Fratres se appellant monachi conventuales more à Romulo derivato: ille enim cum legibus armisque vrbem munivisset, ne religio in bene institutâ civitate deesset, vndecim Arvales fratres constituit sacerdotes, seque duodecimum, hocq; est primum sacerdotum Romæ collegium: fratresque ideo appellavit, quia mutua charitate & fœdere nexi forent. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 25.

Frondibus Calendis Maij domus exornate, Floralium reliquiæ videntur. Polyd.

Fulmen triplex, insigne est Iovis, quo impietatem punit enormem: ad hujus effigiem fabricat sibi Papa triplex diadema, cujus triplici nutu, ac in Pyriphlegetonte nostro fusè diximus, terret mortales,

& diris devovet. Et ait Paulus Iovius lib. de Symbol. Excommunicatio Papæ refert triplex fulmen, & Papa Iovem.

Fulmina sub Iove sunt, ait Poeta: sed jam Catherina promittit omnibus, qui ejus passionis, quam vocant, recordãtur, à fulminibus & tempestatibus immunitatem. Cæl. pasq. ecitat. pag. 66.

Funebres tibiæ, carmen ferale ante pheretrum decantabant, aderantque mulieres, præcipuè conductæ, Præficæ appellatæ, & flendo fortia defuncti facta, miris in cœlum & confictis & falsis sæpius quã veris laudationibus extollentes: quarum & aliarum id genus mulierecularum ineptæ ejulationes & voces, Nænia appellatæ sunt: & Everricator apud veteres Romanos cupressi ramum in domus ostio in funeris indicium, superponit. Cum mortuus in domo fieret comploratio, lugentes pellibus insidebãt, mulieresque, quem nunc Romæ servant morem, genas olim vnguibus lacerasse constat. Blond. lib. 2. Romæ triumph. Præficarum partes & laudationes in montanis Scotiæ & Bearnia servari vidi. pro Cupressi ramo Holandos vidi & Zelandos fasciculum stramineum ante defunctorum ostia ponere. funebres tibiæ sunt adhuc in vsu apud montanos Scotiæ, & pheretrum præcedunt: in alijs regionibus sacrificulorum cantus pro tibijs est: nisi etiam, vt dixi, & veteres suas habuêre in pompa funebri cãtilenas, quas vsurpavêre papani. Ægyptios & Græcos pariter atque Romanos, ait Georg. Eder. in Orat. funebri pro D. Carolo. V. Rom. Imperat. hoc maxima semper religione egisse accepimus, vt reges & principes suos etiam mortuos cum lugere, tum laudes eorum ex publicis concionibus celeberrima pom-

pa

pa recitari, eosque in cœlum vsque efferre solerent: à quibus si nos christianos aut pietate vinci, aut gratitudine patiamur superari, turpissimum id nobis apud bonos & prudentes omnes futurum esse, vos ipsi, P. C. pro vestra prudentia facilè judicabitis: atq; non rei tantum ipsius æquitas, sed consuetudinis ecclesiasticæ nos monet religio, vt D. Carolo Imperatori meritissimo, vltima hæc officia, quæ Iusta Christiana vocat pietas, quam devotissime exhibeamus. Apud Indos cum moritur quispiam pro foribus domus magistratus cui hoc munus impendebat, anteactam vitam moresque descripsit. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7. nunc monachos hoc muneris obire vidi, & eodem modo.

Funesta Athenis colebantur sacra, in quibus templi ornamenta deponere, & pavimenta tegere mos erat. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 20. ita fit apud papatum in Quadragesima, ornamenta enim detrahuntur, imagines velantur, omnia mœrorem præseferunt.

Funus homines sequuntur quasi post ipsum mortuum morituri: in quo, teste Servio, ad honorem præsertim regum & nobiliũ, cum faculis præcedebat populus. Virg. de Pallante. vnde haud dubie ortum est vt apud papanos illud idem in funeribus eorum qui sunt solvendo servetur: sed pro populo, monachi cantantes præcedunt, & novitij monachorum gestant faculas, & cruces, populus sequitur funus.

Furiarum templum in Tænaro Laconiæ fuisse fertur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7. & in papilmo Romanus quidam dæmoniacos solvit & lunaticos. Buling. Orig. cap. 34.

Furti præses esse dicitur Antonius Paravinus, vn-

de Franciſcani, qui in hoc negotio dei vices agunt, aut mentem interpretantur, magnum quæſtum faciunt: alij furto præferunt Angelum Colamiachel, vt gentes Mercuriũ. Cæl. Curio paſq. eccſtat. pag. 27.

G

GAbrielem Archangelum; cap. 1. lib. vlt. Alcor. Italice facti author dicit, ædificaturum pontem ſupra infernum, & in frontiſpicio pontis die vltimi judicij bilances habiturum, in quibus ponderabuntur omnium facta tam malorum quam bonorum: bonis quidem æqua trutina pontem ſalui ſuperabunt: mali delirante ſtatera cadent in infernum præcipites. hæc eadem, ſi de loco conveniat, vt convenire etiam puto, ſi lectionem Vitaſpatrum & legendi Autei memoria recte teneo, intempeſtiva ſuperſtitio, & ab eodem Angelo Gabriele præſtita, invaſit papanos, ita vt non ſint veriti eam in templorum parietibus depingere, ac videre eſt in majoris templi parietibus extra portas Figiaci apud Cadurcos ſuperiores in Gallia, & alibi.

Galli gallinacei producuntur per diem ſingulis annis in pugnam à Papiſequis, ex veteri Athenienſium forma ducto more, & Themiſtoclis inſtituto. Cæl. Rhod. lib. 9. variar. lect. cap. 46. idem Pergami fiebat. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8.

Gallico in morbo Dionyſium quendam finxerunt, credentes eſſe morbum incurabilem. Fides perverſa tales patronos multum effecit, qui hoc modo malefactores hominum facti ſunt. neque hic repugno diabolum quoque ſua admiſcuiſſe ludicra, præſertim ad ſtabiliendum ſacerdotium & adorationẽ, quæ fundita erat ſuper hac perſuaſione & fide, non

vt

vt multa signa fierent, sed ne res concideret, & multa obiter flagitia, vt scortationes, adulteria, &c. committerentur, aliàs signa Diabolus non curaret, siue magna essent, sive parva, sed vt & ipse suum commodum vna promoveret, propterea studuit vt conservarentur hæc. Paracelſ. lib. 1. de cauſſ. morb. Invisib. Luem Veneream antiquis incognitam nulli deorum assignare possum.

Galerum rubrum dat Innocent. 4. Cardinalibus ad modum Tyaræ Hebræorum sacerdotum. Polyd. lib. 4. cap. 9. Invent.

Geminare & repetere verba præeuntis sacerdotis, ac videmus in papatu fieri, hinc est. Ovid. 5. Metam.

Quisquis adest, visum veneratur numen, & omnes
Verba sacerdotis referunt geminata.

Lege Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. & Q. Curtius lib. 4. de gest. Alex. ait: Alexander, ad vota & preces Aristandrum vocari jubet: ille in candida veste verbenas manu præferens, capite velato præibat preces regis.

Georgij festum, ait Blond. lib. 2. Triumph. Romæ, Lustria fuerunt dies festi Martis dei ritibus consecrati, in quibus ad septimum Cal. Maij tubæ, aquilæ, aliaque Romana signa militaria lustrabantur: vt originem inde potuerit habuisse mos per ætatem quoque nostram servatus, cum per diem natalem Martyris Georgij, vexilla & omnem pompam castrensem ex vrbibus deferétes in nemora nostri milites, etiam ipsi lustrare videntur: Hæc ille. An & festum hujus divi non dissimili ceremonia sed additis hastiludijs adhuc in Anglia celebratum, etiam veterum Lustrorum est clientela.

H

HAlleluia à Damaso instituitur anno 369. de more Hierosolymorum Ecclesiæ, & traditione Hieronymi: de quo Greg. lib. 7. cap. 63. in Registro. & de Cons. dist. 1. can. hi duo. Halleluia à Septuagesima vsque ad Pascha suspendi præcipit. Alex. 11. Szeg. in Spec.

Hebe, deinde Ganymedes fuit Ioui à mensa & poculis, ac in papatu est S. Ioannes Evangelista beatæ Mariæ semper Virgini.

Hilaria Romani celebrabant octavo Cal. Aprilis, matronæ cum filiabus myrteis ramis coronatæ post balnea Veneri sacrificant: eodem tempore juventus Athenienſis omni ludorum apparatu laudat Lunam. Hilaria autem Solis honori celebrãt, qui tunc incipiat recurrere ad nos, tanquam patriæ solatio, & initio lætitiæ. Hinc est quod papatus educta ex vrbibus promiscua multitudine inter atva cantet Beatæ Virgini laudes, fanaque aliorum divorum divarumque invisit, potat, ludit, gratulaturque onerata frondibus venienti novo anno, & ita ovans vrbes repetit.

Horæ certæ certis adjunctis characteribus, numeris, astrorum domicilijs &c. Iudiciariæ astromaniæ certitudinem confirmant, & in papatu certæ preces certis divis, & certis horis effusæ adipiscuntur gratiam & benevolentiam. Malleus Mallefic. par. 2. quæst. 2. cap. 6.

Horæ septem canonicæ sunt, cap. 1. lib. 1. Alcorani: Deus ait, ante omnia creavit calamum, per calamum (marginea dicit nota) intelligunt Cabalistici quinque enumerationes mundi Archetypi, vbi omnium

nium rerum facta describuntur: & cap. 12. marginea nota ait, Mahumetani quinque dicunt orationes, atque nos (puta papanos, talis enim est scriptor qui Italice vertit Alcoranum) septem horas canonicas: hinc liquet atque Mahumetani aliquod numen quinario inesse arbitrantur, ita papani septenario numero, & ex eodem fonte vtriusq; commentum effluxisse, numerorum scilicet observatione Cabalistica Pythagorea. Pelag. 1. instituit vt Clerici quotidie horas canonicas septies deblaterarét. Szeg. in Spec.

Horarias preces alij Hieronymum instituisse ferunt, imitatione Apul. lib. 11. Metam. ita scribentis. rebus jam rite cōsummatis, inchoatæ lucis salutationibus religiosi primam nunciantes horam perstrepunt: matutinas precationes vocat salutationes, ostenditque modum orandi divisum in horas: vt papani mane, hora sexta, duodecima, vespere aliquid dijs suis dicunt in aurem. Polyd. lib. 6. cap. 2. Invent.

Hostias rotundas instituisse Numam in deorum honorem. Plutarch. in Numa dicit, quas inter se sacrificijs assistentes dividerent & comederent cum sacrificulo, jussitque erectos in pedes sumere. Pollux in Onomast. lib. 6. Hostiam vero suam albam & rotundam jubet assistentes Missæ genibus flexis è manu Missastæ sumere ore non manu, nec dividere inter se, sed frangere jubet Missicen.

Humeris vt hominum circumferantur Papæ ab Ethnicis sunt mutuati: apud Rom. enim mos fuit, vt prædivites ac primarij viri lectica à servis gestata veherentur. Iuvenalis. Quadrivio cum jam sexta cervice feratur. Martial. lib. Epig. 4. & adhuc est in Lusitania constans mos, præcipuè Lisbonæ.

Hymnorum plures species erant, Hypingos Dia-

næ, Apollini Pæan, & Prosodia. Dionysio Dithyrambus. Cereri Iulus. Veneri Eroticus, &c. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. ad horum formam Flamin. & Diod. Antiphonas instituunt. Telesphorus Collectas, Leon & Gelasius Gradualia. Gregor. & Gelas. Tractus. Gothgernus Vandalorum abbas, Sequentias, pro diversitate deorum dearumque invocatorum. Hymnorum & Psalmorum cantus à Leone. 2. & Damasa est. Szeg. in Spec.

I

IAnitor aulæ cælesti à Papa datur D. Petrus, vt Horæ cælestis aulæ custodes ab Homero finguntur. Vide Mediatores.

Ianuas fanorum adorare hinc est. Apul. in Florid. statim ab initio ait, Vt ferme religiosis viantium moris est, cum aliquis lucus, aut aliquis locus sanctus in via oblatus est, votum postulare, portam appellere, pauliſper assidere. vide supra Cruces in Trivijs &c.

Idola, ait Buling. cap. 18. lib. de Orig. cult. simulachr. erron. Iudaicam gentem à gentilibus didicisse, sumpsisseque, & Idololatriam: idem & quosdam Christianos fecisse testis est Eusebius Cæsariensis Palestinæ antistes lib. Ecclesiast. hist. 7. cap. 17. vbi refert visam à se statuam in vrbe Cæsariensi, quam ad similitudinem vultus Iesu formatam tradiderit priscorum sermo, ad cujus genua mulieris provolutæ palmasque supplicitèr tendentis imago ære expressa sederit: post quæ mox adjungit, & nihil mirum, si hi qui ex Gentilibus crediderunt, pro beneficijs quæ à Salvatore fuerant consequuti, hujusmodi velut munus videbantur offerre: cum videmus etiam nunc Apostolorum Petri & Pauli & ipsius Salvatoris

uatoris designari imagines, tabulasque depingi: Sed & antiquas ipsorum imagines à quibusdam conseruatas nos vidimus, quod mihi videtur ex gentili consuetudine indifferenter obseruatum, quod ita soleant honorare, quos honore dignos duxerint: insignia enim veterum reseruari ad posterorum memoriam illorum honoris, horum vero amoris indicium est. Hæc Eusеb. qui vixit Constantini Magni, & Constantij imperio, anno ab Incarnatione Domini 330. aut circiter.

Iejunium vigiliarum in noctem hinc est. In sacris Cereris ante noctem epulari debet nemo, atque à vino in primis & venere abstinere. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 19. & Ægyptij nono primi mensis celebrant Mercurio festum, caricas & mel mensæ apponentes vespertinæ tantum. Plutarch. de Iside & Osiri. Gregor. 1. in diebus jejunij vsum carnis, lactis, casei, butyri atque ovorum jejunantibus interdixit, & pisciculis minutioribus non grandioribus vesci permisit. & Gregor. 2. & 7. Calixt. 2. &c. Eleutherius decretum tulit, ne quis vllum cibi genus superstitiose respueret. Szeg. in Spec.

Iejunium ter in anno vt ageretur frumenti, vini, & olei gratia Calixtus instituit, inde mutato consilio ad quatuor anni tempora retulit: at ista à veteribus Romanis ego accepta esse dixerim, quos Ovid. in Fast. tribus anni temporibus fructuum gratia, totidem sacrificia dicit fecisse, Vinalia, Robigalia, Floralia. prima vini caussa, altera frugum, deo qui Robigus dicebatur sacra 7. Cal. Maij, quoniam tunc fere segetes robigo occupat, vt ait Plin. tertia cunctorum fructuum quibus dea Flora præerat. Hinc igitur apparet priscos Rom. Pontif. eadem quoq; anni tem-

pora, atq; Papas ex eadem etiam cauſſa celebraſſe. Polyd. lib. 6. cap. 3. Invent.

Igne in ſacro magica ſuperſtitio & ſiniſtra perſuaſio populum invaſit per mendacia præconum pœnitentiariorum & ſacerdotum, S. Antonium dominari iſti igni &c. quod tamen minime verum eſſe reperitur, fuit enim Antonius ſicut alius, & ſi quid fecit, id huc non pertinet: ſed neque dominus eſt elementorum, multo minus vnicuiq; ſua manantia vlcera inſpiceret: hic igitur fides & perſuaſio Antonium effinxit falſum, quaſi Vulcanum quendam. Paracelſ. lib. 1. de cauſ. morb. Inviſib.

Ignes crebros paſſim in Vmbria pridie Calend. Martias faciunt, & pueri facibus accenſis per agros diſcurrunt, quod acceptum Romanis referendum, illi enim Cerealia Cereri ſacra colentes cum facibus noctu currebant. Polyd. lib. 5. cap. 2. Invent. Scoti Iunio menſe hoc olim factitarunt.

Ignibus accenſis ludæi filios ſuos in valle Tophet ſacrant deo Moloch, & igne expiant: atque hodie recens baptizatos infantes (vt vidi fieri ab anicula in Scotia olim, quæ ſui papatus reliquias ſaperet) ſtatim atque domum redierint in limine oblatis edulijs bene venire dicunt, ſtatimque importatos, anicula ſive obſtetrix fuerit, faſcijs involutos accipit, & per flammam ter quaterve leniter vibrant, verbis his additis, jam te flamma, ſi vnquam, abſumat, terque verba repetunt, majores vero natu ad feſtum D. Ioanni ſacrum accenſis veſpere in platea ignibus flammam tranſiliunt ſtramineam mares & fœminæ, pueri, pupæque, ac fieri vidi in Gallijs inter Cadurcos ad oppidulum Puy-la-rocque, vide flammam ſuprà. Sed & morem recens natos per flammam ventilandi

di Moſes Maymonis lib. 3. Morenebocin, Amorrhæos ſcribit inter alia ſolitos obſervaſſe, & credidiſſe liberos à calamitatibus plurimis vindicari: eandemque ſuperſtitionem nutrices adhuc obſervantes à ſe in Ægypto viſas. loca extant. 2. Reg. 21. & 23. 2. Paral. 28. & 33. Bodin. lib. 3. Dæmon. cap. 5.

Ignis perpetuus Romæ ſervatus eſt à Veſtalibus, ac ante Romanos Imperatores deferebatur: hinc ejus vſus in fanis Papæ æternus. Polyd. lib. 5. cap. 7. Invent. & L. Florus ſcribit in Numa, in primis ſocum Veſtæ virginibus colẽdum dedit, vt ad ſimulachrum cœleſtium ſyderum cuſtos imperij flamma vigilaret. Cæl. lib. 8. cap. 35. ant. lect. ex Plutarch. refert. In Græcia vbi perpetuus ſervatur ignis, non virgines, ſed conjugio ſolutæ mulieres ejuſce rei curam habent: papani admittunt vtriuſque ordinis fœminas, & mares etiam ad ſui imperij cuſtodem ignem præſervandum.

Ignis lucernarum æternus potius à Moſaico quã à Veſtali ortum traxiſſe ſuum videtur apud Chriſtianos. Polyd. lib. 6. cap. 11. Invent.

Ignis æternus conſervatur in Apollinis templo ſola abiete. Plutarch. de ſignif. dictionis ἀ. apud papanos autem oleo & illychnio. Sed & in templo Iunonis Lucinæ, aræ adhæret. apud papatum ignis Agathæ datus eſt, vt olim Vulcano, ecu Veſtæ cuidã novæ, & quo minus ignis impetum alias omnibus formidabilem ob ſexus imbecillitatem timeret, additus eſt ei Florianus panoplia inſtructus, qui vrna ecu Inachus quidam, in ſæva aquam incendia fundat. Buling. cap. 34. Orig.

Imaginem D. Mariæ Virginis ijſdẽ inſignijs conſpicuam offerunt Papicolæ, qualiter olim Iſis, Iuno, Diana

Diana Ephesia, superbo & fucis illito vultu prostabant, diademate, torquibus, annulisq; ornatæ. Cæl. Curio pasq. ecstat. pag. 20.

Imagines vicatim suspensas ad tutelã, sic discc. Pilæ, vt S. Pomponius scribit, virileꝭ effigies erant, atq; item muliebres ex lana, quæ compitalibus suspendebantur in compitis quæ esse deorum inferorum putarent, quos vocant Lares, vt essent ijs pilis & simulachris contenti, viviſque parcerent, & ait Corrozetus lib. de Antiquit. Parhisior. cap. 1. quatuor primæ erant vrbis portæ, & quæque porta suspensam habuit imaginem D. Mariæ: sed & in reliquis papantium vrbibus, aut divæ virginis effigies, aut alterius tutelaris patroni imago appingitur.

Imagines cereas in atrijs domorum apud Romanos singulis disponebantur armarijs, quas ita celebrabant colebantque, ac illi quorum vultus exprimebantur viverent: quas festis diebus, & in summa gratulatione & lætitia, laureis sertis & floribus ornare, illorumq; natales dies festa luce celebrare solebant. in luctu vero & gemitu familiæ, tanquã consci doloris essent, & tacita mœstitia funestarentur, deformare. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 24. jam si pro privatis familiarum imagunculis, publicas sanorum accipias, prorsus reliquam superstitionem habes in papatu. Sed & vidi fieri Lugduni imagines cereas in privatis ædibus positas cum lumine & arula, quas genibus flexis pueri puellæque mane & sero precarentur.

Imagines cereas offerre & oscilla, hinc est. Hercules cum Geryonis pecore per Italiam rediens, Pelasgos Cotilliam inhabitantes, & humanis victimis Saturnum placantes, docuit oscillis oblatis, & accensis

accensis cereis deum excolere, ergo invaluit consuetudo, vt Saturnalibus & Cerei missitarentur, & oscilla vænalia exponerentur, quæ homines pro se ac suis piaculis Diti & Saturno offerrent: Sic & nos eadem ex cera, Sigillaria, hoc est, imagunculas templis offerimus, quæ consuetudo sic increbuit hactenus, vt istiusmodi sigillaria ab hominibus ad reliqua animalia transierint: in qua re quispiam verecunde scrupulosus fortassis dicet, se plane nescire, an nos priscorum religionem potius vel superstitionem æmulemur, cum talia Christianæ Ecclesiæ rectores etiamnum admittunt. Polyd. lib. 5. cap. 1. Invent. Hinc etiam est consentaneum fluxisse, vt nos quoque cereos offeramus, illisque accensis cælicolas colamus, sicuti ad Saturni aram est factitatum. Et Persius ait.

Dicite Pontifices in sacris quid facit aurum,
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine pupæ.

Imagines deorum Verrius Flaccus refert non licuisse Rom. despicere prætereuntes, id est, deorsum versum aspici: vnde & papani hodie in supplicationibus idem fieri prohibent, ac vidi in foro Segusianorum Sabaudiæ fieri, & graviter quendam acceptum qui auderet ex fenestra prætereuntes corpus, vt vocant, Christi despicere.

Imagines à gentili consuetudine fluxerunt, quod ita soliti sunt veteres honorare quos honore dignos duxissent, aut ad amoris indicium. hinc authoritate sextæ synodi quæ Constantinopoli habita est, imperantibus Constantino & Iustiniano. 11. statutum fuit, vt imagines sacræ divorum in templis haberẽtur, magnaq; veneratione colerẽtur vt quæ imperitorib'

loco

loco ſacrarum literarum forent, fuit is annus 705. Polyd. lib. 6. cap. 13. Invent. Sic Ariſt. in Polit. ait, imago ſeu pictura pro rudioribus inventa eſt, nam in prælio multa hominum milia vario genere cædis ſublata ex ſe vir ſapiens conjectat: qui rudis eſt, niſi hæc picta videat, non intelligit: vnde pictores & ruentes equos, & calcatos perfoſſoſque homines, & fugientes alios, alios vero inſequentes cum pingunt, rudibus ſatisfaciunt, qui hæc conjectare nequiverant: Galeott. Martius cap. 21. de doct. promiſc. ad hanc amuſſim re penſitata Greg. Mag. jubet erectas à ſe in templis imagines libros eſſe Laicorum.

Imagines aut ab Hercule, teſte Macrob. lib. 1. Satur. aut à Pelaſgis, vt idem vult: aut ab Æthiopibus, referente Diod. lib 4. aut à Prometheo, vt Lactant. lib. 1 divinar. Inſtit. aut ab Atticis poſt Ogygium diluvium, factæ ſunt: Statuam auream & ſolidam primus omnium, Gorgias Leontinus Delphis in templo ſibi poſuit. & imaginum fabricandarum ratio in papatu derivari forte poteſt à ſimili, de quo ſcribit, Galeott. Mart. lib. de doct. promiſc. cap. 28. ſic, Magi (nam magia religio Perſarum eſt) longo experimento invenerunt vitas illas ſupernas, aut ſpiritus, aut dæmones facilius venire, cum ſuas imagines ſive perfectas ſive imperfectas recognoſcunt, imo à nonnullis in arte magica peritis aſſeritur nullos modo accitos venire niſi characteres proprios deſtinatoſque eis intellexerint, & character, vt Albertus Magnus ait, nihil eſt aliud quam imperfecta imago, & hinc eſt quod & Iuno & alij Spiritus, imagines ſuas vel ligneas vel marmoreas, vel alia quavis materie fabricatas habitarunt, ita vt aliquando reſponderint, ſæpe emicuerint, nonnunquam interrogantibus

gantibus annuerint, renuerint, vt legentibus historias occurrit. & Psellus homo inter papistas non paruæ authoritatis asserit lib. de operat. dæmonum, cap. 11. Aereos dæmonas exorcismis inductos efficere vt statuæ rideant, & lampades sponte ardeant: vide vt hic Papista suorum insaniam revelet, & quas vidimus subridere imagines frequenti populo & attonito sudare, lachrymare, &c. esse opera Diaboli. Severus Sulpitius lib. 1. in vita S. Martini dicit agricolas Gallorum portare consuevisse imagines suorum deorum calanticis coopertas albis per campos. En vestimenta Idolorum in papatu: nota est historia Dionysij pallam auream Iovi auferentis. vide plura in Vestimenta. Græci statuas æreas & lapideas non dicunt fabrefactas esse in deorum honorem, sed ipsos esse deos, deasque: nam Lacharis, dicunt, Pallada spoliat: Dionysius comam Apollini detrahit auream: & Iupiter Capitolinus bello civili ardet: Plutarch. de Isid. & Osir. ita & sua sculptilia papatus appellat. Si autem ad repræsentationis effugium evadant, Respondet August. ad Psal. 113. ita, Videntur sibi purgatioris esse religionis, qui dicunt, nec simulachrum nec dæmonium colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor quam colere debeo: itaque Apostolus pœnam istorum vna sententia, damnationemque testatur. Qui transmutaverunt, inquit, veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & servierunt creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus Deus in secula: nam priori parte hujus sententiæ simulachrum damnavit, posteriori autem interpretationes simulachrorum.

Imagines & sculptilia circa altaria habere, ab ethnicis est: de quo lege Euseb. lib. 7. Macrob. lib. 1. Lactant.

Lactant. lib. 2. Diod. lib. 4. Gregorio hoc instituti ascribitur. Szeg. in Spec. Et in speculo relucentem deorum virtutem in beluis, sed vivis, venerantur Ægyptij, quod in rerum natura non sit aliud in quo æquè se offerat divinitas, justum erit ergo, dicunt, hæc organa, & artificium deorum qui omnia regunt & apparentem in his imaginem adorare. Plutarch. de Isid. & Osir. Papani plenam ludibrij hanc religionem quidem sprevêre, insulsè nimium delirare putantes beluarum cultores, cum sit homo, qui persuasione vera sit factus fabrè ad dei imaginem, ita sublatis brutis pene omnibus (aliqua enim adhuc retinere videmus, vt canem Rochi, equum Georgij, animalia Evangelistarum, &c. & hæc quidem mortua: Sed vt stuporem habeas hominum quos deus semel pro derelicto habuit, etiam Ægyptiorum sceleros am iniquitatem scientes & volentes superarunt, dum Antonij Porcum vivum colere non vereantur) venerantur, non in vivi specie, at in sepulti hominis statua divinitatem, hoc stolidiores Ægyptijs tamen, quod pro vivis brutis, mortua colant ligna lapidesque: hoc stolidissimi, & à sensu remotissimi, cum quã Ægyptiorum culturam verbo inficiantur, ipso facto impleant, ac dixi: & adhuc stolidissimis Ægyptijs stolidiores, quod gladio Catherinæ, Crispini cultro calciario, alterius rotæ, Laurentij crati, &c. cernui procumbant, quæ nec hominum nec animalium sint simulachra. Imaginum cultus statutus sub Greg. 3. in Concil. Rom. Szeg. in Spec. Imaginum vsus in templis Christianorum à Paulino quodam episcopo Nolano sub Theodosio ortus est: Cultus approbatus est à Leone. 1. Greg. 11. Constant. 1. Steph. 3. Eug. 2. Innocent. 3. Ioann. 23. imagines ac picturas de testatus

teſtatus eſt Szeg. ibid. Damnãt imagines, Concilium Toletanum, can. 12. Elibert. can. 36. Conſtantinopolitanũ à Conſtantino 5. celebratum, pontifice Paulo.

Imagines recluſiſſe populum Rom. ſacra feciſſe hoſtijs albis, & feſtum celebraſſe albis indutum inter gaudij publici ſigna in electione Taciti Imperatoris dicit Flavius Vopiſcus. Guichard. Funeral. lib. 1. cap. 6. Et quas velatas tenuit per Quadrageſimam papatus, die feſto Paſchæ recludit in ſignum lætitiæ, hoſtijs albis, albiſque indutus ſacrificat Miſſam, Alleluia omiſſum repetit, denique Miſſam de Gaudeamus detonat.

Imaginibus populus Rom. quotannis feſtum ſtativum poſuit & magna ceremonia eis ſacrificavit. Guichard. Funeral. lib. 1. cap. 6. Et non eſt in papatu Imago quæ ſuum feſtum ſtativum non habeat.

Imaginem circumferentium ſecta fuit apud priſcos, qui malefica religionis ſpecie provincias peragrando, pecunias & alias res corradebant: ij ſimulachra deorum circumferentes quibuſdã fallacijs vaticinabantur, deos ſuos propitios offerẽtibus futuros, multa malitia ementientes: quales in primis fuêre ſacerdotes olim deæ Syriæ. Apul. lib. 8. Metam. & lib. 11. Lucianus hac de re libellum ſcripſit nomine mutato. Viget inter nos hæc ſecta, hi enim ſimul induſtriæ ſimul laboris fugientes, ſanctorũ reliquias, vel Apoſtolicas tabellas, ſeu quorundam antiſtitum chirographa vetuſtate, aſſiduoq; vſu paſſim obliterata è pixide depromunt, illaq; magna cum veneratione offerentibus oſculanda porrigunt, promittentes prodatis munuſculis vitam cunctis cæleſtem. Polyd. lib. 7. cap. 7. Invent. Sed & hoc Polydoro addere placet, diebus feſtis non eſſe monaſterij, in quo proſtituta latronum

latronum & meretricum ossa forte cistula inclusa vitrea exosculanda non offerantur ijs qui aliquid numerant: sed quã pene reliquus orbis, etiã ipsa Roma, vt vidi, irridet consuetudinẽ, ita inolevit apud Hispanos, vt non sit qui ingredi alicujus vrbis possit patẽtes portas, quin statim obuias habeat in aulæis dispositas imagũculas, quas genu flexo & oblata stipe aut salutabit qui transit, aut continuo hæreticus vt dicetur, ita & in carcerem abducetur ad argumentum à fasciculis syllogizandum, seu in modo & figura disponendum.

Imago in hostia Missali depicta hinc est. Aduentum Isidis ex Phœnicia. 7. mensis Tybi celebrant Ægyptij, & sacrificij laganis imprimunt equum fluviatilem vinctum & ligatum. Plutarch. de Isid. & Osiri. Sed Papa lagano sui sacrificij imaginem Christi crucifixi imprimit ad differentiam, & vt simile aliquid in sua Christianitate habeat.

Inaugurantur sacerdotes nulli, neque ad collegium admittuntur, nisi qui dignissimi putãtur inter veteres Romanos: quo die Auguribus, pontificibus, regi sacrorum, & Vestalibus virginibus cœnas opiparas mirificè apparabant, quæ Adijciales, seu Adipales dictæ. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 12. & apud papanos de sufficientia & probitate altum silentium, cætera ac quis ad Missam sacrificandam admittitur, sacrificationis socijs & amicis dat opiparum prandium, at suis impensis, & chirothecas post prãdium.

Incarcerare Christum ante Pascha ideo est in vsu, quod Ethnici Saturnum, referente Apollodoro, alligare per annum laneo vinculo soliti sunt & soluere ad diem illi festum.

Indigitamenta, libri erant continentes deorum

Indul-

nomina veterum, & mysticas horum significationes. His succedunt Legenda aurea, Vitaspatrum, Evangelium Francisci, &c.

Indulgentiæ quos præmij loco Greg. Magn. Stationibus adjicit, ad cujus vetustatis exemplar rejici debeant, latet plurimos, eas tamen commentum figmentitium esse hinc cognosce: ex Purgatorio, ait Ioan. Roffensis Episcopus in opere quod in Lutherum scripsit, omnis dependet Indulgentiarum existimatio, cujus apud priscos nulla est mentio, sed & Græcis ad hunc vsque diem non est creditum esse, quamdiu enim nulla fuerat de Purgatorio cura, nemo quæsivit Indulgentias: si tollas Purgatorium, quorsum Indulgentijs opus erit? cœperunt igitur Indulgentiæ postquam ad Purgatorij cruciatus trepidatum est. hæc ille. At sane cum Purgatorium ignoratum primæ sit Ecclesiæ, posterorum est commentum ex Ethnicorum theologia mutuatũ: quod vt sit tanti momenti, quanti apud papanos sit, eget meliori probatione quam ex Virg. 6. Æneid. Plat. 10. Reip. ait Polyd. lib. 8. cap. 1. Invent. Et Indulgentiæ Purgatorij assecłæ cum sint & Iunonum commentum, non est Christianus qui eum Purgatorio non eas ablegaverit ad inferni penetralia, vel hac de causſa quod sint Leonis. 10. tempore contemptæ, vt Szeg. in Spec. testatur.

Inferiæ sunt sacrificia pro inferis. Lavaret. de Spect. parte. 3. ita nunc sunt sacrificia pro ijs in Purgatorio detentis, qui inferi putantur. Virg. 5. Æneid.

Vinaq; fundebant pateris, animamq; vocabant
Anchisæ magni, manesq; Acheronte remissos.

Hic habes oblationem pro mortuis, & invocationem mortuorum, præterea nisi crederent exire ex

inferis animas potuisse neutiquam obtulissent, quare omnia conveniunt ac in papatu, fiunt oblationes vt è Purgatorio animæ liberentur, jam liberatis vota funduntur.

Initiare suos sacris cœperunt Rom. Pont. Hebræorum secuti institutum, & inter hos Gajus Rom. Episc. primus hoc commenti invexit. Polyd lib. 4. cap. 7. Invent.

Initiari oportebat sacris Persarum Lydorumque reges antequam sceptra inirent: qui modus erat, vt vestem quam gestavit Cyrus primùm induerent, mox terebinthum & caricas gestarent, poculumque lactis ebiberent: sicut initiatos sacris Isidis, fores ædis aperire, arcanosque libros evoluere, aqua ablui, ad sacraria deduci, duodecimque stolis primo, mox ipsius deæ picta veste indui decebat. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 28. an hinc dusto more Papæ volunt nostros reges & imperatores initiati, invngi, ad sacraria deduci, sacra veste indui, Diaconi in missatione vice fungi, &c. quem morem primus videtur admisisse Carolus Mag. qui ex Hispania reversus, Parisijs ordinavit, vt omnes reges Franciæ, & Episcopi, præsentes & futuri, Episcopo Parisiensi subsint, & pareant, nec sine ejus consensu reges coronentur, aut Episcopi ordinentur. Vincent. lib. 24. cap. 22. ex Turpino. Sed & hic habes eum morem quem in præcipuis hodie habent Suitæ (vulgus Iesuitas vocat) illi enim statim atque ad ordinem aliquem admittunt, statim ad portæ custodiam abiegant, inde ad aquæ benedictæ aspersionem admittitur, tum ad librorum illi sectæ arcanorum evolutionem admittitur, tandem ad Paternitatem & Missificationem, id est, stolarum, deorum, dearumque sacrificia obeunda.

Intercisi

Intercisi dies dicti, in quibus deorum simul atque hominum res agere licet. Alex ab Alex. lib. 4. cap. 20. id est, in quibus nunc negotijs dare operã, nunc religioni inservire jubetur, quippe divisa tempora voluptatis & laborum, remissionum & curarum Romani veteres habuêre. Hujusmodi in papatu sunt dies Sabbati & aliquæ sanctorum vigiliæ, à mane enim ad meridiem privatam rem gerere licet, tempus pomeridianum ferijs publicis dicatum est.

Ite Missa est, ab Apul. lib. 11. Metam. sumitur, vbi inquit, peractis sacris dixit concionator ex suggesto λαοις ἀφεσις, populi missio. Alex. ab Alex. ait lib. 4. cap. 17. apud Romanos Sacerdos re divina & ceremonijs concelebratis, licet succlamabat, quã voce illos qui interfuerãt missos faciebat. & Guichard. lib. 1. cap. 7. Funeral. ait, cum reliquias mortuorum octavo à morte die combustorum in vrnam inclusissent veteres, sacerdos vt finem obsequijs faceret, aspergillo ex Rosmarino aut lauro perfudit ter populum aqua benedicta ad expiationem, tum absolutis omnibus aut sacerdos, aut præfica veniam facit pompæ hoc verbo, Ilicet; & ipsissimam hanc consuetudinem post Missam habet papatus, abluit populum aqua benedicta, & ite dicit.

Iubilæus primus annus à Bonifacio. 8. institutus, & celebratus Iudaico more, anno 1300. hunc ritum posteris mandavit centesimo quoque anno vt celebrent, antiquæ legis imitatione. Volaterr. Iubilæum Bonifacius 8. instituit ad exemplũ legis Iudæorum, de quo Ioseph. lib. ant. 3. Origen. super. Num. Sed hoc est differentiæ, Iudæi enim quinquagesimo quoque anno, at Papa centesimo Iubilæum servari mandavit, ad exemplum secularium ludorum apud

Rom. qui, vt Festus attestatur, in honorem Apollinis & Dianæ instituti sunt, quos Valerius Publicola ob exactos reges primus celebravit. Author Capitolinus in Gordiano. Sixtus. 4. ad 25. quemque annum revocat, anno 1475. Buchananus ait lib. 11. Annal. Scot. veteris Iudæorum ritus Ecclesia Romana sibi asciverat exemplum, vt quemadmodum illi quinquagesimo quoque anno suis civibus debita cujuscunq; generis remittebant, oppignerata gratis reddebant, servos Hebræi generis libertate donabant: ita Romani pontifices omnium secus factorum condonationem, velut dei in terris vicarij arrogabant, quam aliis temporibus minutatim cauponabatur, quinquagesimo quoque anno apertis misericordiæ suæ horreis, nullius mensuræ parcitate cohibitam, omnibus publicè, nec tamen omnino gratis effundebant. Sed & ex veteri Iubilæo & hoc in vsus cessit, qui matrimonio copulati ad annum quinquagesimum simul vixerunt, eo anno nova sponsalia, & novas nuptias cum eadem vxore mariti celebrant, convocatisque amicis liberius de more congræcantur. Iubilæum Bonif. 8. centesimo anno servari mandavit, meretricum caussa. Clemens. 6. ad quinquagesimum annum auri gratia Iubilæum reduxit. Sixtus 4. ad vicesimum quartum, propinquorum caussa, avarus mercator reduxit.

Iuramentum pontificum erat per deos jurare, cui per liberos non licebat. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8. Vrbanus 2. per deum, ac creaturas jurandum esse decrevit. Pius Papa acerrimè illum castigandum statuit qui per creaturas juraverit. vide caus. 22. quæst. 1. can. Si quis. Szeg. in Spec.

Iurant per inita fani munera pontifices, sacerdo-

tes, Episcopi &c. consuetudine à Rom. petita. Cic. ad Appium. Æneas ad Did. apud Virg. Ovid. ad amicam quæ pejeraverat.

Iusjurandum dare Numa vetuit suos Flamines, hinc Papani sacerdotes ad jusjurandum à judice Laico non coguntur. Polyd. lib. 4. cap. 14. Invent.

Iusta mortuis facienda Pelagius Rom. Pont. cusasse dicitur, & dies luctui dedisse, secutus Numam, qui dijs Manibus sacra adjecit, cum Libitinæ ara, sive Proserpina ea fuerit, vt multis persuasum est. sive Venus. Polyd. lib. 6. cap 9. Invent. Hebat & sacrificium pro mortuis nono die, quod dicebatur Novendiale. Servius super illud. 9. Æneid. Præterea si nona dies mortalibus almum Aurora extulerit. Donatus in comment. Phormion. Hinc igitur apud papanos hodie mortuorum Iusta septimo die à funere, demptis ex veterum instituto duobus diebus, est, in Can. decret. dist. 44. Polyd. lib. 6. cap. 10. Invent.

L

LAicis Scriptura interdictum est. Lysis Pythagoricus in Epist. ad Hyppar chum inquit, multi vero dicunt, publice te etiam philosophari, id quod facere Pythagoras aversatus est, qui Damæ filiæ suæ proposítis monumentis ac præceptis, ea cuiquam extra familiam tradere vetuit: illa vero cum multis pecunijs vendere hujuscemodi libros posset, noluit, sed egestatem ac parentis mandata omni auro potius esse atque antiquius judicavit: aiunt autem eandem moritutam Bistaliæ suæ filiæ hoc idem præceptum dedisse: at nos cum sumus viri, non rectè nos ergà illum gerimus, sed conventorum sumus transgressores. & alibi in eadem Epistola ait, me quoque divinorum

norum & grauissimorum ejus præceptorum esse me morem, neque prophanare, aut communia facere, sapientis bona ijs, qui ne per somnum quidem mundati sunt animis, ac purgati: non enim fas est quibusvis offerre quæ tantis laboribus compatata sunt, non magis quam duarum Eleusinorum dearum mysteria profanis exponere, hæc ille. & Eleusinæ Cereris mysteria magno silentio inclyta, velut arcanum quid sanctumque in vulgus efferre non licebat. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 19. Sic Papa custos vnicus, vt ait, scriniorum & præceptorum Dei, & interpres, qui omnia jura in pectoris scrinio habeat, & in quo est omnis sufficientia, licet ignaro & insufficiente, extra familiam, & fani sui limites, id est, rasuræ stigmata, tam legem, quam lectionem & interpretationem legis divinæ egredi non permittit, anathemate laicos feriens qui conentur Biblia aut legere aut penes se habere, in his etiam longe durior Pythagoricis, satis esse dicens, si laici crederent vt ficta mater Ecclesia, etsi penitus ignorent quid Ecclesia sentiat. & Greg. 7. Vladislao Boemorum duci scripsit, ac prohibuit, ne Scriptura sacra verteretur in linguam vulgarem. Olaus lib. 16. cap. 38.

Lapidea mensa terra operitur humato corpore hostiuis qui aliquo sit numero, quæ contineat laudem & nomen mortui incisum. Cic. de leg. 11. Mos retinetur.

Lavare defuncti corpus moris fuisse, testatur illud Ennij. Tarquinij corpus bona fœmina lavit & vnxit: hinc ducta ceremonia, corpus Papæ defuncti lavatur aqua calida intermixtis herbis odoriferis à plumbatoribus bullarum & cubicularijs, tonsor radit barbam lavans vino albo & paululo tepidæ aquæ, repletque

repletque hiantia loca aloe, myrrha & moſco, induc-
it corpus balſamo reliquum. Guichard. lib. 3. cap.
12. Funeral.

Lavare manus ante conſecrationem hinc eſt. Le-
ge apud veteres cautum erat, vt qui ad deos acce-
derent, flumine, vt ait ille, viuo ſe abluerent, poſt de-
inde cætero cultu eſſent conſpicui: de manuum ab-
lutione intelligit Fruterius Veriſimil. lib. 2. cap. 6. &
adducit illud Plauti in Aulularia. Ego, niſi quid me
vis, eo lavatum, vt ſacrificem. Cato de re ruſt. cap.
132. dapem quomodo fieri oporteat tradens, manus
ait interluito, poſtea vinum ſumito. Tibul. Eleg. 1.
lib. 11. Propert. lib. 2. Eleg. 22. Ovid. lib. 3. Faſt. A-
mor. Eleg. 8. vt autem in ſacris puras manus, ita &
puras veſtes, & pura vaſa, & puram hoſtiam, & purum
vinum deſiderabant. Tibul. eleg. vlt. lib. 1. & eleg.
1. lib. 2. Virg. 12. Æneid. vbi Servius in Schedis, pu-
ra interpretatur non polluta: & pura, ait dicitur ve-
ſtis, qua feſtis diebus vti conſueverant ſacrificaturi:
vt neque funeſta ſit, neque fulgurita, neque macu-
lam habeat in homine mortuo: eſt autem purpurea
& linea, purpura enim maris vicem ad piandũ præ-
bet: linum vero fluminis, quia cum vere primum in
oriente flumen invndaſſet, linum natum Plinius ſe-
cundus dicit: ideo magiſtratus ſacrificaturi togam
prætextam habent, & manus ablutas detergere li-
neis mantilibus curant. Ovid. lib. 3. de Ponto, eleg.
1. in altero prævaricantur papani, nam vino ſpurco
Papa libat: eſt enim, ait Labeo Antiſtius lib. 10. com-
ment. Iuris pontif. referente Feſto, id vinum ſpur-
cum, quod ſacris adhiberi non licebat, quale credebatur cui aqua adjuncta erat: quale eſt quo hodie in
Miſſæ ſacrificatione vtitur Papa: Sed & vſus lavandi

manus ex veteri quoque instrumento esse videtur, quod Iudæi non rem modo divinam, sed & convivium à lavatione manuum inchoare consuevisse dicuntur: Et Hesiodus refert lege vetitum fuisse ne quis mane Iovi vinum libaret manibus illotis. Polyd. lib. 5. cap. 10. Invent.

Lectisternia veterum sunt quæ sacerdotes nostri vocant Repræsentationes, quas imponunt tumulis dum canunt pro mortuis, simile quid pheretro abuoluto atra veste, & cruce alba distincto proponentes. Guichard. Funeral. lib. 1. cap. 9.

Legendas Sanctorum Iuardus monachus fertur collegisse post Hieronymum & Bedam, anno 810. fere post alios omnes Iacobus de Voragine Archiepiscopus Ianuensis congessit. Szeg. in Spec. exemplo, vt videtur, sumpto ab Ethnicis qui singulorum deorum suorum vitas & facta particularia in sacrificando prædicabant, vt videre est in omni historia.

Lingua non intellecta in sacris vti, ab Ethnico ritu est, de quorum sacrificijs Sap. 14. dicitur, obscura sacrificia facientes: & sermone incognito in sacrificijs suis vsos veteres, testis est Iamblicus in responsis ad Porphyrij quæstiones, & quia hunc probat vt dijs gratum, ideo papani suis mysterijs extraneas adhibent voces, gravi imposita pœna si secus quis fecerit, aut enodare alio idiomate mysteria attendat Missæ, vt quæ enucleata dijs grata non sint futura, sed quæ vilescere apud plebem sine inceptura continuo detectis involucris, & vanitatis tacitæ latebra. hoc instituti Agathoni cuidam Siculo tribuitur, sub quo Ioannes episcopus Portuensis Constantinopoli primum Latinam Missam celebravit de quo Nauclerus, Platina, &c. Nicolaus. 1. Sclatis & Polonis

nis Missam in sua lingua fieri permisit. Szeg. in Spec. Horæ canonicæ latinæ vt fierent Vitellianus instituit. Latinè vt omnia in templis fiant. Vitell. Agath. & Nicol. 1. instituêre. ibid.

Linguis faveri à circumstantibus qui juberet in sacris vnus præponebatur Plinius ait, quemadmodum apud nos servatur, cum sacram lecturus in Ecclesia lectionem alta dicit voce: Iube Domine benedicere: cui boni ominis sit responsio, vt digna in ejus corde & labijs sacrorum dogmatum sit enunciatio: dicebant enim gentiles, favete linguis omnes, & tu tibicen cave ne aliud interea exaudiatur, vnde & traditum more est, vt primum anni diem lætis precationibus invicem faustũ ominemur. Blond. Rom. Triumph. lib. 1. & Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. expressius istam habet veterum consuetudinem.

Literarum candidati Catharinam quandam virginem Alexandrinam, vt Athenienses Minervam colunt. Buling. cap. 34. lib. de Orig. cult deor. erron.

Lucerna seu candela mortuis cadaveribus semper apponitur in domibus & templis quamdiu supra terram sunt, & frequenter toto anno post humationem: an hinc ducto more, oculo vel lucerna incensa veteres Ægyptij vitam significabant, vnde veteres soliti sunt lucernas ardentes sepulchris imponere, hac saltem ratione significantes se mortuorum quãdiu possent vitas producturos. Gabriel Symeon Florent. dial. specul. pag. 216.

Lucernas qui semper in tabernaculo ardentes curarent Moses nonnullos delegit. hinc ignis perpetuus, & Conservarij pontificij. Polyd. lib. 4. cap. 5. Invent.

Luctui annum integrum ab obitu quod dederint

papani

papani,& prohibuerint ne fœminæ interea temporis nubant,ex decreto Numæ est, teste Plutarch. in Probl. & Guichard.Funeral.lib.1.cap.10.

Ludos Taurios ad postrema Februarij mensis tempora Romani edere consueverunt,quos postremo Carnisprivij dominico die nunc celebrãt.Blond. Instaur. Romæ. lib.3.

Lumina & preces suis sacrificijs Ethnici addebant Lavaret. de Spect. 3.parte: luminaria semper accensa etiam interdiu habere voluerunt Augures in captandis augurijs,Blond.Triumph. Rom. lib.1. Luminibus accensis ad arã Saturni sacrum fieri cœpit, postquã admonitu Herculis & Maniæ humanis victimis sacrificari desitum est, vnde cereis missitandis in Saturnalibus mos inolevit,& comessari,& largiori potui indulgere assueverunt: regna quoq; sortiri inter æquales, & tanquam reges imperitare,&c. qui etiã mos cum Græcis & exteris communis fuit. Alex. ab Alex.lib.2.cap.22.Sunt lumina,sunt Cerei, comessationes & græcatio,& regis electio qui æqualibus imperet per sortitionẽ in Festo natalis Domini ad Epiphaniæ,quod Saturni festo in papatu respondet. Cæl. lib.8.cap.36.ant. lect. ait, Luminaria accendunt ad paganorum exemplum per omnes orientis Ecclesias quando legendum Evangelium est, jam sole rutilante, non vtiq; ad fugandas tenebras sed ad signum lætitiæ demonstrandum.

Lustrantur vrbes,templa,palatia. Alex. ab Alex. lib.5. cap.26. arva & segetes in Amburualibus,idem lib.3. cap.12. Oves,lib.5.cap.26.Exercitus,ibid.& lib.3.cap.12. & Sabell. lib.7. Ennead. 5. retinet omnia Papa.

Lustrici panificij in hebdomadarum distributionem

nem & consecrationem deformarunt hodierni pontifici ad illud instituti quod scribit Anicetus Syriacus anno 130. in suis decretis in more positum fuisse vt singulis dominicis Christiani offerrent panem & vinum ad Cœnæ Dominicæ vsus. vide Fabiani Rom. decret. cap. 5. anno. 239. lege Primitiarum.

Lychnorum pensilium vsus à lucernis quas Moses in tabernaculo accensas seruari instituerat est. Polyd. lib. 5. cap. 1. Invent.

M

MAio mense exire in agros & cantando viridem frondem reportare quam in domibus & domorum foribus appendant, aut à Flora lasciviæ Romanæ dea, aut ab Athenien sibus est Polyd. lib. 5. cap. 2. Invent.

Manicatas tunicas refert Cæl. lib. 10. cap. 29. ant. lect. habuère Medi in delitijs & Phryges. Virgil. Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ. & Martinus Papa manicatam tunicam hinc nuttuatam Missæ tribuit. Redimicula autem dedit Cardinalium Galero.

Manu dextra Missicines in signum crucis circumducta plebem dimittunt, quia Aaron extendit manum sacrificio peracto & populo benedicit. Polyd. lib. 5. cap. 10. Invent.

Martinellæ Ecclesia in Martis templo fuit ædificata. Blond. Instaur. Rom lib. 3.

Mediatores posuerunt veteres. Lares & Genios, tanquam interpretes quosdam & salutigerulos, qui concepta à nobis vota ad deos deferrent, & illinc ad nos divina munera, veluti μετάπται quidam, & Pararij: ad hos item magica excantatio & præsagiorum species referebantur, quod in Sympo sio docuit

docuit Plato. Cæl. lib. 1. ant. lect. cap. 24. Romani appellant hos adhuc Medioxumos qui ἡμιθέους sunt ac Semidei. Nominibus mutatis, alijsque substitutis papani rem tenent integram. Sed & apud veteres Ianus in omnibus sacrificijs precationibusque primus invocatur, quia, vt ait Arnobius lib. 4. adversus gentes, creditur viam ad deorum audientiam pandere. Hinc Ovid. lib. 1. Fast.

Mox ego, cur quamvis aliorum numina placem,
Iane tibi primum thura merumque fero?
Vt possis aditum per me quicunque limina servo,
Ad quoscunque voles, inquit, habere deos.

Servius in 7. Æneid. alij Ianum, inquit, aerem credunt, & quia vocis genitor habeatur, idcirco mandari ei preces nostras ad deos perferendas. Macrob. lib. 1. Satur. cap. 9. ait, Ianum quidem Solem volunt demonstrati potentem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat: invocarique primum, cum alicui deo res divina celebratur, vt per eum pateat aditus ad illum deum cui immolatur, accessus: quasi preces supplicum per portas suas ad deos ipse transmittat. Hic inter alia habes D. Petrum Iano datum successorem ostiarium. Plato, referente Plutarch. Opusc. de Isid. & Osiri, dicit dæmonas esse quosdam Mercuriales & ministerio deditos, neutros inter homines deosq; quibus curæ est mortalium vota precesque ad deos deferre, simul deorum oracula, & alia quæ homini deorum beneficio eveniunt, referre. Apul. de dogmat. Plato. ait, dæmones, quos genios & lares possumus nuncupare, ministros deorum arbitrantur, custodesque homini & interpretes, si quid à dijs velint Alex ab Alex. lib. 4 cap. 17. Principium precationis à Iano & Vesta fuit, ut per eos ad reliquos deos adi-

tus

tus pateat. Plato in Epinomide inquit, quam vim habet dæmonum natura? interpretatur & trajicit humana ad deos, divina ad homines: & mox, deus quidem homini non miſcetur, ſed per id medium, commercium omne atque colloquium inter deos hominesque conficitur, & vigilantibus nobis & dormientibus, lege plura de his, & præfectura variorum dæmonum in Polit. in Gritia ſive Atlantico. lib. de leg. 5. In Phœdro. & lib. de leg. 4. in Phœdone. & lib. de leg. 6. & vt putes ipſum de animabus defunctorum loqui atque jam faciunt papani, dixi alibi hoc in opere, ſub dæmonis nomine illum & Heroas comprehẽdere: & vt fœminis hac in re ſit locus conſpirant Ethnicíſmus & papiſmus, Tutilina enim mediatrix eſt ad Iovem ne ſegetem fulminet, hanc accenſis lampadibus & facibus orant vt velit intercedere: ac papani Brigidam, Catharinam &c.

Medicorum deus Apollo eſt. Ovid. 1. Metamorphoſ.

Inventum medicina meum eſt, opiferq́; per orbem
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

In papatu pro vno Luca Evangeliſta & olim medico, quem medicis eripuerunt ſuaſu Papæ pictores habent duos, Coſman & Damianum. Bul. cap. 34. lib. Orig.

Membris in homine veteres præfecêre ſuos deos, ſiquidem capiti numen ineſſe quoddã fertur. frontem ſacram Genio nonnulli tradunt, ſicuti Iunoni brachia, pectus Neptuno, cingulum Marti, renes Veneri, pedes Mercurio, digitos Minervæ conſecravit antiquitas. Romanæ mulieres ſupercilia Lucinæ conſecrarunt, quia inde lux ad oculos fluit. & Homerus carmine ſingulos membris honeſtauit deos:

namque

namque lunonem facit candidas vlnas habere, Auroram roſcos lacertos, Minervam oculos glaucos, Thetidem argenteos pedes. Heben vero talos pulchertimos. dextram Fidei ſacram Numa inſtituit, etiam cum veniam ſermonis à dijs poſcimus, proximo à minimo digito ſecus aurem locum Nemeſeos tangere, & os obſignare ſolemus &c. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19. Iam ad hanc ſimilitudinẽ caput, ITA, non omnibus cognita dea, obtinet, oculos habet Otilia. linguam inſtituit Catharina, in rhetoricis & dialecticis exercitatiſſima Apollonia dẽtes curat. Collo præſidet Blaſius ſpiritalis deus. dorſum vna cum ſcapulis obtinet Laurentius. Eraſmi venter eſt totus cum inteſtinis. Sunt qui Burgharto cuidam & crura & pedes conſecraverint, in participatum nonnunquam admittit Antonium, Quirinum, Ioannem, & neſcio quos alios divos. Apollinaris quidam Priapi vices ſubijt, pudendorum deus effectus. Buling. cap. 34. lib. de Orig. cult. deor. erron.

Menſæ primi accumbunt ſacerdotes. Lucian. dial. Lapithæ. mos à papanis ſervatur.

Meretricibus vectigal Caligula imperat, ex gerulis enim octavam, ex proſtitutis quantum vnaquæque vno concubitu mereret. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 10. Sixtus 4. Romæ nobile admodum lupanar extruxit, atque vtrique Veneri aſſignavit, meretricum cohortes aluit, amiciſq; & ſervis exhibuit: nonnihil emolumenti ejam ex meretricio quæſtu ærario ſuo accumulans, Romana enim ſcorta in ſingulas hebdomadas lulium numum adhuc pendẽt pontifici, qui cenſus annuus nonnunquã quadraginta ducatorum milia excedit, adeoq; Eccleſiæ procerũ id munus eſt, vt vna cum Eccleſiarũ proventibus eti-

am

am lenociniorum numerent mercedem. & Paul. 3. in tabellis habebat numerata 45. meretricum milia, ex quarũ fornicatione singulis mensibus censum exegit. & meretricum ordo Parisijs institutus per Minoritã Ioan. Tisseranũ, ab Alex. 6. approbatur. & Paul. 2 Scorta habere Cardinalibus permisit. Szeg. in Spec.

Minervæ Chalcidicæ templum fuit Romæ olim, servatq; ipsa nunc suum nomẽ Minerva, à fratribus S. Dominici prædicatorib. sub gloriosæ Virginis dei genetricis titulo habitata Blond. Instaur. Rom. lib. 3

Miracula Sanctorum omni tempore fuerunt, etiam ante nativitatem Christi: Christiani vero Christianissimum reliquerunt, & Ethnicos imitati sunt vt Simiæ, nec adhuc eos pudet adorationis Ethnicæ, itaq; secundum veterem Ægyptiacam consuetudinẽ ex Apolline S. Iacobus factus est. vnus enim similis est alteri. Paracelſ. de cauſſ. morb. invis. lib. 1.

Missa dicitur sacrum, nam hoc verbi apud veteres, inquit, Trebatius, dicitur omne quod deorum habetur: apud Virgil. pro sacrificio ponitur, vt Sacra Dioneæ matri divisq; ferebam. idem, Sacra Iovi Stygio quæ recte incepta parabam. & alibi quoties nominat substantive, additionem fere deorum facit. ita papatus & scarificatum Missæ, Sacrum vocat, & addit deos, vt sancti Spiritus, Martyrum, Brigidæ, &c.

Missa nocturna ex Augurum doctrina est, augurij enim captandi occasio à media nocte incipere debet. Sicut in natali Christi primæ Missæ omen à media nocte sumitur.

Missæ nomen à voce Daniel. 11. Moazim derivãt. vel à 4. Reg. 11. Messa, id est, conculcatio. alij à Missal, quæ infernum & sepulchrum notat: vel à Græco, μυζειν seu μυσσειν, quod est in secreto abdere,

abdere, occultare, quoniam Papistæ magno silentio verba Missæ abscondunt. Mahumetistæ à Sergio edocti hoc nominis colunt, sacerdotes enim suos vocant Messen, templa Messit seu Meschit. Hotomanus de verbis juris ait, Missa dicebatur ab antiquis theologis pro missione, vt remissa pro remissione, apud Cyprian. Epist. 14. lib. 8. qui blasphemat in Spiritum sanctum, remissam peccatorum non habet. Item apud Tertull. lib. contra Marcion. dixinus de remissa peccatorum: namque veteris Eccle. siæ Christianæ institutum hoc fuit, vt cum in populi conventu, peractis precibus, habitaque concione, epulatio sacra, hoc est, Cœna corporis Domini celebranda esset, quoniam profani ad eam non admittebantur, Diaconus, quasi præconis officio fungens, pronunciaret, si quis non communicat, det locum: vel sic, Cathecumeni exeunto: quod ex Greg. dial. lib. 2. cap. 2. observatum est, & ex Cyrillo in Ioan. lib. 12. cap. 50. Erant autem Cathecumeni, qui ante baptismum religionis mysterijs initiabantur, vt recte instituti tandem die solenni paschæ ad baptismum admitterentur. excludebantur etiam Rejecti, quos excommunicatos appellabant, cum diris, hoc est, diabolo ad tempus dediti essent: itemque pœnitentes: itaque cùm illi omnes tanquam prophani è sacro conventu remoti essent, cæteris Dominica Cœna distribuebatur. ergo veteres, cum Cœnæ mysterium occultissimum, & ab oculis profanorum esse vellent remotissimum (quod etiam ex illo μυστιαγωγιας vocabulo, & ex Theodoreto, aliisque veteribus intelligitur) institutum hoc tenuêre, vt consequentem actionem ex antecedenti designarent, vt qui rectè instituti essent, hoc quasi symbolo, intelligerent

gerent, si quando Missam factum iri diceretur, fore vt eo die μυσταγωγια, id est, Cœna celebraretur: vnde vetus illa formula, Ite Missa est, hoc est, exite qui cõmunicaturi non estis. hæc ille: Szeg. in Spec. air, Missa aut Hebræum est, aut Latinum. Si hebræum dixeris, ex Mosaica ceremonia desumptum est: debebant enim singuli venientes ad celebrationem Paschæ aliquod munus voluntarium offerre, id Missa vocarunt Hebræi, collationes videlicet, vel munera populi, non oblationem sacerdotis. Sin Latinum dixeris ab Ethnico ritu desumptum est, & Missa pro missione accipitur, sicut remissa pro remissione. Scriba enim Apuleio teste lib. 11. Metam. finito sacrificio, populo denunciabat sermone græco λαοι; ἀφιεσθε, id est, populis missio, scilicet est, vel datur, vnde totum sacrificium Missa est nominatum. De quo lege Polyd. lib. 1. cap. 11. Invent. Rhenanum, & Innocent. lib. 6. cap. 12. de alt. mysterio. Vide & Concil. Gangrense cap. 11. de vocabulo Missæ.

Missa dicitur Ἀγαπη, ab Ethnico ritu, Ethnici enim in natalibus & funeribus solebant adferre cibos, & alia munera, quæ distribuebantur in pauperes, ac vocabantur oblationes, vel ἀγαπαι, de hoc more loquitur Tertull. in Apolog. cap. 34. & August. contra Manich. lib. 20. cap. 26. hic enim mos adhuc relictus erat ab Ethnico ritu, qui in natalibus & funeribus dabant epulas in templis, sed hæ postea prohibitæ sunt. hic mos adhuc apud Papistas durat, præsertim in diebus funerum, vnde Missa ἀγαπη dicta est.

Missa sacrificium dicitur, & hoc nomen ab Ethnico ritu desumptum, apud quos multa erant sacrificio-

ficiorum genera: vel ex ceremonijs Leviticis.

Missa definitur sic, est oblatio seu sacrificium applicandum pro vivis, & mortuis, vt illud sacrificium mereatur illis remissionem culpæ & pœnæ. hæc definitio ex falsa persuasione nata est, qua Ethnicorum opinione permoti, putarunt Missæ sacrificio, quasi velo quodam obtegi sua & aliorum flagitia: Plato lib. 2. de Rep. vbi de veteribus piaculis disserit, stultam improborum ac sceleſtorum hominum confidentiam ridet, qui putarunt hisce sacrificijs obtegi sua flagitia ne à dijs cernerentur, & tanquã facta cum dijs pactione securius sibi indulgent: permotus est hac persuasione primum Alex. 1. qui docuit Missæ sacrificio peccata deleri: hunc imitatus Greg. Magn. certos instituit dies, quibus in templo solenni ritu sacrificaretur, & proposuit delictorum veniam ad id solenne accedentibus.

Missa privata, ex mala Corinthiorum consuetudine, qui quod commune est privatum efficiebant, quos acriter increpat Apost. contra Missam privatam. lege Chrysost. super cap. 1. Corinth. 11. & Theophylactum super eundem Pauli locum.

Missa Martyrum & aliorum sanctorum ab Ethnico ritu desumpta. Numa enim secundus Rom. Rex, teste Livio, Flamines instituit, qui Iovi, Marti & Quirino sacra peragerent. de hoc ritu lege Macrob. Caton. & Cicer. in orat. pro Flacco. & Virg. lib. 5. invexit hunc ritum in Ecclesiam Felix.

Missa pro defunctis ab Ethnico ritu desumpta, apud quos erat sacrificium pro mortuis, quod Novendiale dicebatur: nono enim die, quo quis sepultus fuisset, celebrabatur. erant & Februa apud Ethnicos, quæ per duodecim dies Februarij celebrabantur,

bantur, hisque diebus pro impetranda mortuorum animabus quiete, piaculis, sacrificijsque omnis populus circa sepulchra accensis faculis cereisque intentus erat, de hoc ritu vide Ovid. in Fast. Virg. 5. Æneid. Salust. in Iugurtha. Cic. 2. de leg. & Plin. porro de more Papistico lege Gauss. 13. quæst. 2. can. Quia alij: item, de cons. dist. 5. can. nullus. introduxit hunc ritum Ethnicum Greg 3. hic enim scripsit ad Bonifac. legatione apud Germanos fungentem, Christianos pro suis mortuis verè Christianis posse offerre: sacerdotesque debere mortuorum mentionem facere, præcepit: alij id Pelagio asscribunt: alij concilio Gabinensi, de quo lege de Cons. dist. 1. can. visum, at concilium Carthaginense cap. 18. huic ex diametro repugnat, instituit enim defunctis sacramentum distribui non debere, quia jubeat Christus edere, id quod defunctis non convenit.

Missæ vendere hostiam, ab Ethnico ritu desumptum est, de quo Baruch. 6 vel exemplo Iudæ proditoris. cæterum, quia ad Iudæ taxationem accedere non poterant, vt tamen vel aliqua nota authoris sui nomen referrent, taxationis Iudæ partem decimam retinuerunt, in Gallijs & alibi sextam: sed ille semel, hi quoties emptor occurrit, vendunt.

Missæ hostiam circumferre ab Ethnico ritu desumptum. Ethnici enim teste Apul. lib. 11. Idola sua circumgestabant: alij à circumlatione arcæ fœderis sumptum esse putant. authores hujus instituti sunt Vrban. 4. Martinus. 5. Eugenius 4.

Missam conferre ad quæstum desumitur ex ritu Leviticо, vbi dicitur, non appareat vllus in conspectu meo vacuus. institutum hoc Greg. Mag. est.

Missæ vinum aqua miscere, est ex instituto Sta-

phili Sitheni filij, de quo Plin.in,7. & Diod.5. vel ex falso intellectu loci Solomonis, vbi dicitur, bibite vinum quod miscui, quod pontificij inepte ad cœnam retulerunt, & miscere pro confundere interpretati sunt, nonnulli vero ex eo desumptum putant, quod de latere Christi exivit sanguis & aqua, vt colligitur ex Concil. Martini Papæ, vt est de Cons. dist.1.can. non obstet. cum Christus hic cœnam non instituat, sed his velut signis, cur venerit in mundum ostendat. aqua enim cœlestem doctrinam, & sanguis redemptionem significat, venit ergo Christus vt Doctor & redemptor: neque valet hic quicquam aquæ allegoria, quam vehementer vrget Cyprian. lib. 2. epist. 3. vt est de Cons. dist. 2. can. sicut & seq. vnde merito damnati sunt Aquarij, eo quod aquam porrigerent in calice sacramenti. de quibus lege Caus. 24. quæst.3.can. quidam. & August. de quibusdam ecclesiasticis dogmatibus, cap.75. hoc institutum Alex. 1. tribuitur. vide lavare manus, &c.

Missa & officium à Gregor. compositum, approbatur in Concil.Rom. sub Hadriano, anno 775.

Missam Gregorianam Greg.3. primus Ecclesijs occidentalibus obtrusit.

Missam vnam vno die celebrandum esse: Alex. quidam tribuunt: hæc omnia fere de Missa. Szeg.in Spec.Pontif.

Missam facturi à Venere præcedentis noctis abstinere jubentur in papatu. & præceptum est Plutarch.3. Sympos.6. problem. post coitum ne sacrificium hostiave offeratur. & illud Poetæ.

Vos quoj; abesse procul jubeo, discedite aberis,
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Lucius tamen 3. statuit vt Missa concubinarij audiri

diri possit, & ab eodem sacramenta percipi contra institutum Alex. 2. vt est dist. 32. prætor hoc item nullus.

Monasticæ vitæ institutum ab Essæis sive Essenis, ita appellat Plin. quorum secta apud Iudæos admodum celebris est habita, ad posteros manasse crediderim, quoniam illi fere per omnia eam ducebant vitam, quam inter nos Monachi ex præscripto quisque suæ sectæ agere solent: testatur Philo, referente Euseb. lib. 8. Evang. præpar. hac superstitione Paulus Thebæus, vt Antonius, ambo Ægyptij homines, à primo olim imbuti, illam postea insigniter æmulati, monachorum dogma instituunt: sicut deinde Basilius in Græcia fecit, Hylarion in Syria: hæc Hieron. anno circiter 361. & Polyd. lib. 7. cap. 1. Monachorum sectas tantum abest, vt Benedict. Augustin. Hieronymus instituerent, vt etiam ne tale quid vnquam cogitarunt futurum. Polyd. ibid. Pius 2. mendicantes monachos Diaboli mancipia esse dicebat. Szeg. in Spec. lege anachoreticam.

Morbifica vota habet Hyppocrates de virg. morb. qui ait, Qui percelluntur, & syderati & attoniti, vbi resipuerunt, præcipuè mulieres, tum alia multa, tum preciosissimas muliebres vestes Dianæ consecrant, à vatibus id jubentibus decepti: Et nostri sacerdotes toti in hoc sunt vt sanitatem acceptam Imaginibus referant, & eo nomine dona offerant his dijs, hinc peregrinationis præcipuus est quæstus, hi dant aurum vbi convaluerunt, alij erigere promittunt sacerdotia, alij sacella, alij templa, Missas æternas, vel anniversarias, &c.

Morbo medicinam afferre Hyppocrates asserit homines suæ ætatis conari solitos sacrificijs, & con-

Jurationibus, & alijs similibus magicis illusionibus. Reyn. Scot. lib. 15. cap. 30. Revel. Mag. & cap. 34. scribit Ioseph. habere (lib. 1. de ant. Iud. cap. 2.) Salomonem solitum hujusmodi medelas ejectioni dæmoniorum, & sanationi hominum contra morbos exhibere, imo has præstigias literis commisisse, hinc in suam ditionem hæc incantamenta transfert Papa, & his medetur tam hominum quam beluarum morbis, excantat animalia omnia, & dæmones, erigit ex inferno sepultorum animas, diabolos rejicit, ejicit è corporibus possessis, ac in propatulo est legenti. 6. lect. D. Margar. in Ecclesia Romana, & attestatur Lombardus lib. 4. dist. 14. Gratian. decret. aurear. dist. 21. Rubr. de exorcistis. & Durandus in Rationali divinorum.

Morbis levari qui meruissent mos fuit, vt hi remedia, & qua curatione levarentur, in æde Æsculapij velut in albo proponerent, vt essent sempiterno monumento, & cæteros exemplo juvarent. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 2. & in fanis papanorum videbis naufragorum tabulas, claudorum baculos, &c. ad memoriam suis dijs suspensos.

Morti templa dicarunt Lacedæmonij, Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13. & Marcus à Papatu mortem avertit, Buling. cap. 34. lib. de Orig. cult. deor. etron.

Mortuorum imagines ad cohonestandas exequias deferebantur. Alex. Aphrodis. in Problem. Cic. pro Milone: quarum loco nos insignia, sæpius etiam redditas imagines in byssо, aut re alia, mortuorum deferimus, quas parietibus templorum appendimus.

Mortuorum in papatu familiæ, aspergine aquæ & conceptis verbis purgantur, quia veteribus, vt Columella ait, Decimales feriæ colebantur, quum hominis

hominis mortui cauſſa familia purgabatur.

Mortuorum inſula eſt parva ad Portum Memphis inacceſſa etiam avibus, hanc ſemel quotannis ſacrificuli intrantes, ſacra faciunt & libamina pro mortuis. Plutarch. de Iſide & Oſiri. en orationem & ſacrificia Papæ pro mortuis anniverſaria.

Mortuorum cura, vt vocant, apud gentes eſt, Spiritus enim errantes non ſolum animas ſe eſſe dixerunt, ſed etiam indicarunt quid in eorum gratiam facere conveniat, & expediat, nempe feralia & parentalia celebranda eſſe, eorum corpora ſepelienda templa extruenda, ferias peragendas, & alia id genus. tale quid Sueton. in vita Calig. & apud Lilium Gyrald. lib. de ſepult. prorſus ab hoc veterum inſtituto, & ſimili cacodæmonũ impoſtura, Papiſtarum ſit Cœnotaphia, anniverſaria, peregrinationes, Miſſæ pro mortuis, jejunia, ſupplicationes, ſacellorum exſtructiones, & alia id genus, quæ vocant Iuſta, & ſi quæ alia quæ in defunctorum gratiam habentur. Vide plura apud Lavaret. 3. parte de Spectr. Concilium Gabinenſe, ſacrificium pro mortuis confirmat, de quo diſt. 1. de conſ. can. viſum. pugnat cum hoc Carthaginenſe, can 18. quod defunctis hoc ſacramẽtum non convenire docuit. Szeg. in Spec.

Mortuum comitari operto capite, & induto cucullo lugubri Iudaiſmus eſt, ſic Iacobus flevit Ioſephum: ſic David Abſalon, teſtis eſt Hieronym. Polyd. lib. 6. cap. 9. Invent. cum enumeraſſet omnes pene funebres Papanorum ceremonias ait, hæc omnia cum primis Itali in re funerea juxta dementer ſervant, ab ipſis priſcis, vt jam liquido liquet, procul dubio accepta.

Mortuum laudare, ejuſq; fœlicitatem totum di-

em decantare ſacerdotes eſſe ſolitos author eſt Plato 12. de leg. & Cic. in leg. ait, Honoratorum virorum laudes in concione memoranto. & addit, eaſq; laudes ad cantus & tibicinem proſequuntor. ad iſta Blond. Triumph. Romæ lib. 2. Servat in pleriſque locis vrbi Romæ propinquis noſtræ ætatis conſuetudo. Lege Guichard. cap. 2. lib. 2. Funeral.

Mulieres conduxiſſe veteres gentiles quæ plorarent defunctum, ſæpe diximus ait Guichard. lib. 3. cap. 12. Funeral ante pompam incedentes. Et Chryſoſt. in 11. Ioan. hom. 61. & Serm. 3. In cap. 1. Epiſt. ad Philip de Chriſtianis ſui temporis idem affirmat, quod & hodie alicubi in Italia obſervatur. hæc ille.

Murem premens imago Apollinis Sminthæi effingitur: atque in Ægypto in templo Vulcani, ejus ſimulachrum cum mure apprehenſo conſpicitur: propterea quod Arabes quum regionem invaſiſſent Vulcanus magnam vim murium effudiſſe, arcuſque & habenas corrodi feciſſe, atque ita hoſtes fugaſſe dicitur. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 12. & Bœotij Apollini Parnopioni ſacra facere dicuntur, ne muribus provinciam redderet obnoxiam. Idem lib. 1. cap. 13 Iam ne hac in recula ſibi deſint Papani, dicit Buling. cap. 34 lib. de Orig. cult. deor. erron. quid? quod præ dijs ne glires nec mures impune rodunt? nam mox vt arrodere cœperint, colo diſjcit rodẽtes dea Gertrudis, quod ſi penſum nondum abſolvit, nec illud abrumpere libet, Huldrychus interea arrepta Auguſtanæ gleba terræ & projecta, nocentes diſturbat: illa enim creditur omnibus gliribus eſſe lethalis.

Muſica Apollini grata & Cytharæ, Plutarch. de ſignif. diction. ♃. muſicam aiunt Vitellianum pontificem poſt annos demum 770. à nativitate Domi-

ni,

ni.& cantum in templis ordinasse, & organa adhibuisse,quæ cum humanis vocibus contenderent, id quod attigit & Mantuan.Fast.lib.4.& Marian.Scot. in suis Chronicis anno Domini 757. Organum,inquit,primitus venit in Franciam, missum Pipino regi à Constantino Imper. è Græcia. Greg. 1. præcepit, vt ministri verbi modulationi vocis non inservient,sed potius prædicationis officio, vt est dist. 29. can. in Sancta.

Mutili & manci ad presbiterium in papatu non admittuntur, & Plin. act,lib.7.nat. hist. M. Sergium de rebus strenuè à se gestis orationem habuisse,cum à sacris arceretur vt debilis. idipsum habet declam. 4. Seneca, vbi de Metello inquit, Sacerdos integer sit.Metellus pontifex,cum arderet Vestæ templum, dum rapit Palladium, oculos perdit, sacerdotium illi negatur,& mox contra Metellum, Sacerdos non integri corporis quasi mali ominis res vocanda est, hoc in victimis notatur, quanto magis in sacerdotibus?Sed & lib. antiq. 2. Halicarnass. Sacerdotes à Romulo lectos scribit genere excellentes, simul & virtute præstantes, nec tamen inopes, aut corpore vlla ex parte trunco.Anastasius. 1. mancos procul à sacerdotio abesse voluit,imitatione Mosaica. Polyd. lib.4.cap.8. Invent. morbosos, mancos & debiles à ministerio rejecit Anastas. Romanus.Szeg.in Spec.

N

NÆnia, epicidion, monodia, erat vltimum quod defunctis caneretur carmen, quod Simonides poeta lyricus ex Cæa insula primus instituisse dicitur. Nonius Marcellus esse dicit ineptum & inconditum carmen, quod adducta mulier, quæ præfica dicere-

diceretur, ijs, quibus propinqui non essent, mortuis exhiberetur. Cic. de leg. 2. & Erasm. ait, Comment. in hymnos Prudentij, Nænia est cantio funebris, quæ frustra canitur mortuo. & Næniæ sacellū ædificarunt Romani ab vrbe semotum extra portam Viminalem, quod cantu querulo funeribus præesset. Alex. ab Alex. lib. 2 cap. 4. & Threnos lugubris erat cantus sepulturæ proprius. Et papanorum boatus ad pheretra & sepulchra, item vt, ac si nulli essent alicui mortalium propinqui, ipsi soli præficæ mulieris subeunt vices.

Natalis Christi festum ita est. nullum alium diem veteres tanta hilaritate celebrabant ac Saturnalia, is erat 14. Cal. Ianuar. Macrob. & Muretus Comment. ad Catull. 9. Epigr. ad Calvum: Nam hoc die pueri plaudentes dicebant, hodie bona Saturnalia. vide Epictetum ad Arrianum. & Martial. Iste tibi faciet bona Saturnalia porcus: Et, Clamant ecce mei, Io Saturnalia, versus. Seneca in Epist. ait, Saturnalia & ipsa fuerunt dies festi Saturno dicati, quorum feriationem omnium longissimam, & luxuriem maximam sic describit. December est mensis cum maxime civitas sudat, jus luxuriæ publicæ datum est, ingenti apparatu sonant omnia, tanquam quicquam inter Saturnalia interfit & dies rerum agendarum, adeo nihil interest, vt mihi videatur non errasse qui dixit, olim mensem fuisse Decembrem, nunc annum. nec tamen parum similia esse videntur, quæ eodem mense per Christi Dei natalitia committuntur à nostris. Blond. Triumph. Rom. Lib. 2. Sed Scoti adhuc efficacius solti sunt reddere Saturnalia, qui ad natalia Christi per vrbes noctu vlulare solebant, Iul, jul, (non, vt hactenus ex

nostris

noſtris quidam inepte arbitrati ſunt, à nomine Iuhj Cæſaris, qui primus Britanniam, id eſt, ac nunc loquimur Angliam ingreſſus eſt, cum illud nomen Scoti, ſeu vt tunc fere fuit nomen, Albinij, ne audiverint, nedum venerati ſint memoriam, cujus beneficio meliores, aut bello deteriores nunquam evaſerint, nam maritima Britanniæ ora tantum debellata in Gallias continuo trajecit, Albinia, ſeu vt nunc loquimur, Scotia nunquam viſa) corrupte pro Io, Io, vt fieri ſolet in omni linguarum ad diverſos commigratione, & hodie cum ab alijs alius accipit, ſit.

Natalibus Chriſti, ſeu in trium Quintarum feriarum noctibus quæ proxime Domini noſtri natalem præcedunt, vtriuſque ſexus pueri eunt domeſticatim januas pulſantes cantanteſque futurum Saluatoris exortum annunciant, & ſalubrem annum, vnde ab his qui in ædibus ſunt pyra, poma, nuces & numos etiam percipiunt, quo Chriſti Ieſu natalem gaudio in templis non clerus ſolum, ſed omnis populus accipiat. ex hoc attendi poteſt, quod puerili ſtatuncula in altari collocata, quæ nuper editum repræſentet, cum puellis juvenes per circuitum tripudiantes choreas agant, ſeniores cantent, more haud multum ab eo quidem diverſo, quo Coryban. tes olim in Ideæ Matris antro circa Iovem vagientem exultaſſe fabulantur: tunc etiam ex avita conſuetudine vltro citroque munera mittuntur, quæ à Saturnalibus quæ eo tempore celebrabantur, à Romanis Saturnalitia, à Græcis Apophoreta dicta ſunt. Ioann. Boem. Auban. lib. 3. cap. 15. de Francorum ſeu Francorum ritibus. Scoti autẽ hoc ceremoniæ facere ſunt ſoliti pridie novi anni ad veſperam,

tam

tam juvenes quã senes, canentes se esse famulitium Divæ Mariæ. postridiè vero illius diei faustum quisque diem alteri precatus, peti t Strenam.

Natalis sacrorum appellabatur apud veteres, idem dies quo quis sacris initiabatur, religiosoq; jentaculo celebratur. ex Apul. lib. 11. Metam. Polyd. lib. 5. cap. 1. Invent. idem in papatu fit, dum junior quis ad Missam scarificandam primùm admittitur, vt supra dixi.

Natalem vt suum quisque diem pro facultatibus, multis sacris ac opiparis convivijs coleret, fuit mos apud Persas: vnde apud Romanos forsitan fluxit, quibus in solis natalibus sacris sese varijs etiam libidinibus & intemperantiæ voluptatibus dare fas erat: hinc Virg. in Buc.

Phyllida mitte mihi, meus est natalis Iola.

Ac tam natali die quam funerum, in templa cibos pauperibus afferebant, ibique edebant, manavit & ad Christianos institutum, quando, teste Tertull. lib. de milit. Coron. illis ipsis diebus oblationes faciebant, in temploque vna epulabantur. Polyd. lib. 6. cap. 7. Invent.

Navibus olim tæda lucida, ovo, & sulphure lustratis, ad purificationes, preces solennes præfati, nomen induebant Ethnici sacerdotes, nec in totum exoleviſſe antiquum ritum Massiliæ conspeximus, Brodæus in 2. Epigram.

Navigantibus propitius datur Nicolaus marinus Deus, repositus haud dubie in Castoris & Pollucis locum, & collegam assequutus creditur Christopho rum: est autem hic proceræ staturæ gigas & firmis lateribus poeticus Polyphemus, atq; adeo præmodum navigantibus per maria & flumina accommodus

dus: quod si prævaſta corporis mole moverit ſegnius, mox Virgini matri occinitur carmen. Ave maris ſtella, &c. Buling. cap. 34. lib. de Orig. cult. deor. erron. Vide Precularium quod Ieſuiſtæ, Suiſtæ vero nomine, vt alibi in Pyriphlegetonte doceo, compilant naviculatoribus Scotis.

Nomina immutari ſolent, ait Lact. divinar. inſtit. lib. 1. mortuis conſecratis, credo, ne quis putet eos homines fuiſſe. & erat conſtitutum apud Romanos, vt qui libertus annulo donaretur, exploſo veteri nomine, equeſtre aſſumeret. & poſtea denique viliſſima mancipia ſervitute exempta in hunc ordinem aſciſcere, & equeſtri dignitate, ac prætorijs ornamentis honeſtare, vſus invaluit: in qua re ſervatum eſt, vt ſublatis exploſiſq; veteribus nominibus, quos ad equeſtrem ſplendorem advocabant, ingenuorum veterumq; Romanorum nominibus nuncuparent, ne quid nota nominis obſoleti collato honori officeret. Iam & Papæ aut divinitatis ſuæ ſibi conſcij (dicitur enim diſt. 96. can. Satis evidenter. Pontifex Romanus deus eſt) aut vilitatis, è qua ad diadema pontificale emerſerũt, nomina prima cum alijs commutant. Nominum autem immutandorum quinque ponit cauſſas Szeg. in Spec. prima, propter miniſterium, pontifices enim Baptiſmi ſui gratiam apertè ac manifeſtè reſpuerunt, honorificentius æſtimãtes nomen in vnctione à miſeris hominibus excogitata, ſuſceptum, quam quod in baptiſmo à Chriſto ſeruatore inſtituto, acceperunt. ſed qui alio quam Chriſti nomine vocatur, hic non eſt dei, vt teſtis eſt Ignatius ad Magneſianos. Secunda, eſt vocis obſcœnitas, hic enim Romano Pontifici habetur honos, vt ſi minus honeſto, vel pulchro honeſtetur nomine, ei ſtatim

statim creato liceat illud mutare, vnde, Os Porci, Sergius secundus appellatus est. Barbus, Paulus: Cibo, Innocentius, &c. 3. vocis deformitas, vnde Brune, Gregorius quintus appellatus est. Geberhardus, Victor secundus, &c. 4. mutationis caussa est sexus, nam cum mulier, eaque meretrix, in pontificem eligeretur, virilem mentita sexum, masculino nomine appellata est. Gilberta primùm, Ioannes in papatu dicta est, vt nomine ipso meretricis immunditia tegeretur. quinta caussa, natura seu ingenium Papæ electi: qui enim mali erat genij aut naturæ, nomine suæ naturæ contrario, in ipsa electione appellabatur, vt nomine ipso honestiori omnis tegeretur malitia, & vt nomine saltem, si non reipsa, pontifex ornamento esset sedi (vt vocant) Apostolicæ: vnde si homo maleficus ante fuerat, Bonifacius appellabatur: si timidus, Leo: si Rusticus, Vrbanus: Si improbus, Innocentius: si ferox, Clemens: Si deses aut ignavus, Gregorius: si minus gratus, Ioannes, &c. Inuenio & aliam caussam apud scriptores quæ inutiliter adsui non videtur. Ægyptij donabant Apotheose Arsinoen vxorem Ptolomei Philadelphi, & mutato, de more, nomine, eam vocabant Venerem Zepherytim, & templum magnificum ejus honori dicabant in promontorio Zephyrione. nominabant etiam Chloris ex nomine vxoris Zephyri, & cum delectaretur equis, quos ad ludos mitteret Olympios, assignabant equum, qui eam in cœlo ferret. Callinach. apud Athen. Stephan. de Vrbib. Posidippus in Anthol. epigr. Turneb. adverss. lib. 1. cap. 7. Hygin. in fabul. Guichard. lib. 3. cap. 10. funeral. Et quia pontifex Romanus, vt ex homine Papa eligitur, deus est. dist. 96. can. satis evidenter, & non homo lib. 1. Sixti

de

de elect.tit.6.can. fundamenta. in Gloſſatore. ideo & ob ſimilem cauſam, ac Arſinoe, fieri poteſt quod mutet nomen homo, apotheoſe in hoc mundo donatus: & Papa, id eſt, deus, ex homine terreo factus.

Nomina vnius deæ varia ſunt, vt olim apud gentes vna Diana jam Agrotera, mox Coryphea, deinde Laphyra, item Corythallia, Epheſia quoque. Aulidenſis, & Pergea dicebatur: ita apud noſtros, Mariæ varia ſunt indita nomina, alia enim Lauretana, alia Eremitana, Aquenſis, Campenſis, Specioſa, Roſacea, Liliaca, à vaniſſimis hominibus propter loca in quibus extant idola, nuncupata eſt: & vt de Diana variæ erant fabulæ, cujus generis & illa erat, à Iove delapſum eſſe Dianæ Epheſiæ ſimulachrum, vt in Actis memorat Lucas: ita de divæ Virginis idolo vaniſſima quædam traduntur, vt & de ſacellis. hoc enim aiunt ab ipſis Angelis ex orientis partibus in extimas occidentis delatum oras: illud vero ab Angelis vel fabricatum, vel auctum, vel conſecratum, vel ab hoſtium incurſione defenſum. Præterea hoc ſimulachrum Virginis à Luca pictum, aliud à ſancto quopiam ſculptum, & aliud ab Angelis vel inventum, vel revelatum, &c. Buling. cap. 35 Origen.

Nudi vt juvenes (ſicut Sichardus comment. ad Periſtephanon Prudentij) Lycæum Pana venerãtes per luxum atque laſciviam currerent Evandrum ex Arcadia inſtituiſſe ludicrum Tit. Livius ſcribit, atque obuias puellas ſcuticis per jocum pulſarent, quibus ſtultè creditum eſt vulgo fœcunditatem procurari. meminit totius ludicri. Ovid. in Faſt. & Floralia ad clivum Capitolinum menſe Maio celebrabantur, quos quidem ludos meretrices egiſſe nudatas

nudatas cum alicubi, tum maximè constat apud Senecam Epist. XCVIII. vt jam æquiore sit tolerandum animo, nostri temporis prostitutas eo propemodum loco tabernas habere & casas: vbi Floræ meretricis dedecus quotannis ludorum gloria honestabatur. Blond. lib. 1. Triumph. Romæ, & videre est in Gottica, seu Occitanica Galli a inter papistas æstivali tempore in nundinis per vrbes & pagos ita nudatos currere juvenes, & tum puellas, tum nuptas, tum prostitutas sola camisia indutas, & ea etiam per interfœminia collecta in nodum, cætera nudas, ludi genus vocant, Courir Lesguillette, quod abijt in proverbium, & ijs aptetur, qui omnem pudorem deposuisse putantur. posteriorem Evandrij ludicri partem, imitantur ad Epiphaniæ (si bene sum memor rei quam fieri vidi) aut Quadresimæ, ad Valentini, cum juvenes nudas puellas in lecto mane repertas virgis cædant. de fœcunditatis autem procuratione suo loco dixi.

Nudipedalia, teste Hegesippo, & Iosepho lib. de bello Iudaic. 2. Iudæorum erant sacra, Capucinis papisticis, & pœnitentibus flagrionibus, ac superstituosis ad unguem familiaria, qualiter fieri vidi à rege Gallorum vltimè defuncto Parisijs rigidissima hyeme, cum frequenti nobilitate, & matronatu aulico, aliarumque tenellula fœminarum luxurie. Capucinos autem ordo jubet discalciatos continuo incedere.

Nullos deos qui crederent, Atheos vocant, præter Diagoram, & Theodorum Cyrenæum, Euemerum Pegeatem, Callimachum, ac Prodicum Cæum, aliosque plures, fuêre Callaici, gens moribus effera cultu inhumano & fero, neque more neque jure viventes:

ventes. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 26. Et Leo decimus proponenti semel Cardinali Bembo quiddam ex Iæto illo dei nuncio, dissolute respondebat. Quantum nobis, ac nostro cœtui profuerit ea de Christo fabula, satis est seculis omnibus notum. Tales erant Alex. 6. Sylvester. 2. Paulus. 3. Benedictus. 9. Ioan. 13. Clemens. 8. Greg. 7. omnes Athei, qui neq; cœlum, neque infernum post hanc vitam esse credebant. Szeg. in Spec.

Nuptiarum convivio concedit Papa choreas, saltationes, epithalamia, & cantilenas liberiores quã deceat modestos, vt veteres Rom. carmina (teste Alex. ab Alex. lib. 11. cap. 5.) & Fescenninos versus, atque sacrum hymnum quem Epithalamium vocant, decantant: atque in his quinque deos precari solebant, vt novæ nuptæ volentes & propitij adessent, prolemque secundarent, Iovem adultum, Iunonem adultam, Venerem, Dianam & Suadelam: nostræ mulieres deum Patrem invocãt, Virginem Mariam. S. Luciam, & Helenam Constantini matrem pro Suadela.

Nuptiarum in celebri officio Locrensibus, vt alijs, in vsu erat vt verbena, quæ Veneri dicata est, & floribus herbisque à se textis corollam texant nupturæ, & coronas nectant. In Bœotia vsurpatum est, vt sponsam obtegentes, asparago coronent, apud Græcos autem sisymbrio, caputque hasta gladiatoris, quæ in corpore mortui steterisset (quæ Celibaris dicta est) comat, ac frontem & comam discriminat, opinari licet, quasi fortes ea de causa viros se genituram ominetur, aut quod sponsi disciplinæ se subditam fateatur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5. & virgines in papatu floreas coronas texunt, capitaq; die

nuptiarum imponunt. & si quis præsente gravida, aut fortasse alia, distringit gladium, præsertim ex reliquijs paparus adhuc in Scotia, omen est, nisi caput fœminæ eo tangat, & fere in tactu hæc addunt verba, si mas est sit animi plenus, & strenuus satelles, si fœmina, prona in venerem. addit Alexander, cumque ad virum profectura nova nupta egredi vult, ipsum limen transcendere sua sponte, aut vestibulum tangere non sinunt, sed quasi raptam & invitam è gremio & sinu matris, transcendere limina volunt, videlicet nisi coacta suos relictura, aut proprios lares exitura non fuisset: vel quia vbi delibandus flos martialis erat, invitam ingredi videri volunt, ipsa vero domum egressa, præcedente tibicine, & eo qui canit hymenæum, officio frequentia affinium stipata, colum comptam secum defert, & fusum cum stamine: duo vero patrimi & matrimi pueri eam tenentes deferunt. Et apud Christianos mirum quot turbæ, quæ tergiversationes dum nupta ire ad virum tenetur, hinc illæ lachrymæ commilitantium puellarum, & fœminarum reliquarum suspiria à primis dentibus educta. Bayonæ pro colo & fuso præferunt panem, butyrum, vinum & id genus varia, tracto more fortasse à Græcis, apud quos cum sponsa ad viri domum traducitur, puer spinis & glãde querna obsitus, canistrum panibus onustum defert, sponsæque præcedens passim clamitat, effugi malum, inveni bonum, quasi post frugales mores, re & honoribus auctior sit. Et Curtius ait, lib. 1. de gest. Alex. Et rex medio cupiditatis ardore jussit afferri patrio more panem (hoc erat apud Macedones sanctissimũ coeuntium pignus) quem divisum gladio vterque libabat. Præterea, in Anglia adhuc duo pueri mediam

in

in templum præcedente tibicine deferunt nupturam, duo conjugati referunt, his tempore prandij ob præſtitam operam nova nupta dat Chirothecas. inſuper præter dona Parentum, fuêre quæ domeſtici & amici conferebant cum primùm ſponſa facie revelata viſendam ſe præberet, ἀνακαλυπτήρια dicta. Alex. ibid. morem nos retinemus: & moris fuit in Scotia virginẽ poſt nuptias ſe non viſendam præbere invelatam ad aliquos dies, ſed modo audaciores factæ, continuo produnt. apud Cadurcos Gallos à mulieribus amicis poſtridie nuptiarũ per forum & vicos majores vrbis deducitur devirginata, vt teſtatum plebs habeat quam ſtrenuè ipſa illæſa operam ſuam ſuperiori nocte viro præſtiterit.

O

OBlationes ad Sepulchra fiebant, aliquando ex fiumento aut hordeo. Arſenius in Euripid. Hecub. nec dubito eos attuliſſe etiam panes & obſoniorum omne genus. Athenæus lib. 8. cap. 6. Plin. lib. 20. cap. 11. Athenienſes quotannis ſacrificabãt mortuis, & anniverſarias oblationes ad ſepulchra detulerunt. Cæl. Rhodig. lib. 8. cap. 25. Cives Apolloniæ Chalcidicæ pro mortuis ſacra faciebant menſe Februario, poſtea Novembri. Athen. lib. 8. dipnoſoph. cap. 3. Guichard. lib. 2. cap. 6. funeral. morem habet Papatus. vide Miſſa pro defunctis. vide mortuorum cura.

Obſequiæ mortuis fiunt ad imitationem veterum, eſt enim in oratione Theſſali filij Hyppocratis ad Athenienſes: & Nebri filium Chryſum in Circo equeſtri ſepelierunt, & Delphis publicè ipſi parentare præceperunt, vide plura in M. & P.

Offertorium Missæ ex ritu Levitico est, vbi dicitur, non appareat vllus in conspectu meo vacuus, de quo dist. 3. de consecr. can. omnis & cauſſ. 10. quæſt. 1. can. quia sacerdotes, & can. 16. q. 1. can. Statuimus. vel ab Ethnico ritu desumptum est, cum enim multi ex gentibus converterétur, Eutychianus non nihil infirmioribus tribuendum ratus, concesſit, vt epulas in sacrum conferrent cœtum, juxta morem Gentilium, quas ab Episcopo benedictas liceret offerre pauperibus, aut in privatum vsum converterent: atque hic ritus gentilium in festum Paschæ à papistis translatus est. Szeg. in Spec.

Oleo inungere infantes docuerunt hæretici Marcus & Marcosus. Epiphan. lib. 1. Tom. 3. hæres. 34. imitantur morem papistæ.

Oleum sacrum ad inunctionem sacerdotis & vasorum templi. Exod. 30. Papa & hoc habet: & præterea hoc olei ad inunctionem regum & statim moriturorum exhibet.

Omen, votum est mentis & vocis, vnde à sacrificantibus bona habentur omina, id est, vt circumstantes & bona mente velint, & mera oribus proferant: quale est apud Christianos, cum Sacerdos ab altari ad populum conversus submissa voce pro eo dicit orandum. Blond. Triumph. Romæ lib. 1.

Omnium sanctorum festum ita est. Pantheon templum Romæ fuit, quod (vt Dion historicus refert) sic dicebatur, quia in Martis Veneriſq; imaginibus sub ipso templo constitutis, omnium deorum imagines effictæ erant, & Blond. Italiæ illustratæ lib. in regione tertia Latina illustranda, ait, Phocas Imperator Pantheon Romæ in omnium Christi Martyrum basilicam permisit consecrari. Festum omnium Sanctorum

ctorum Gregor. 4. Cal. Novemb. rogante Ludovico inſtituit. Szeg. in Spec.

Orantes tangere & amplecti aras ſolitos, teſtis eſt Macrob. lib. 3. Satur. cap. 2. Virg. lib. 4. & 6. Æneid. Servius in 4. Æneid. Plaut. in Rudente. Act. 3. Scen. 3. Apul. lib. 6. Aſinij. Senec. in Hercule futente. ipſa quoq; ſigna deorum contingere at comprahendere ſolitos, Arnobius lib. 6. adverſus gentes indicat. & aris advoluebantur ſupplicantes, Propert. lib. 3. Eleg. 15. Senec. in Oedip. act. 1. Scen. 1. Prudentius in Apotheoſi. & ſupplices mulieres genibus nixas deos oraſſe teſtatur. Ovid. lib. 4. Faſt. Apul. lib. 10. Aſini. Supplicantes etiam in templis proſtratos procubuiſſe, liminaque templorum & ſolum ædium ſacrarum oſculatos obſervavi. Lucret. lib. 5. Tibul. lib. 1. eleg. 5. Ovid. lib. 1. Metam. Omnia habet papatus. Carthuſianique ſupra alios projecti in ſolum, id precantur, deoſculanturque ad tinnitum campanæ, quam procumbens pulſat. peregrinantes quos vocant, vidi per Italiam & alibi, limina, valuas templorum oſculari, & clavos oſtiorū, vt ſupra dixi.

Oriens ſpectant aræ ad imitationem veterum. Virgil. 11. Æneid.

Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem
Dant fruges manibus ſalſas.

Orientem in ſolem convertitur, vt jam dixi, qui deos ſalutat aut orat apud nos, & Apul. ait, 2. metam. tunc in orientem obverſus vel incrementa Solis auguſti tacitus imprecatus, &c. Polyd. lib. 5. cap. 9. Invent. Orientem reſpicit precaturus, & imagines oriens ſpectant, vt ingredientes preces eorum ſumferant ad ritum Perſarum, qui Solem orientem venerati ſunt. Plut. in Numa. Deus interdicit Iudæis oriente,

oriente, prohibet imagines. Exod. 20. Levit. 26. Deut 5. Esa. 40. Cæl. autem lib. 7. cap. 2. ant. lect. dicit, jam illud veteris fuit superstitionis, quod in Asclepio Mercurius scribit, deum adorantes, si medius affulserit dies in austrum converti: si vero dies sit occiduus, in occasum: si se tunc primùm promat Sol, exortiva est spectanda. Vigilius Papa anno Christi 554. jussit sacrificulum scarificantem Missam ad ortum Solis oculos dirigere. insuper qui precabantur ad orientem conversi, erecto vultu, manibus passis, expansis & in cœlum sublatis ac protensis orabant. Virg. 8. Æneid. Ovid. lib. 4. fast. Vitruvius lib. 4. cap. 5. Tertul. in Apol. Apul. lib. 2. Metam. Clemens lib. 7. Stromatôn. eodemq; conversa templa fuisse Plutarch. in Numa docet: Iunenal. Satyr. 10. Apul. lib. de mundo. Virg. lib. 2. & 3. Æneid. hæc omnia retinet papatus. vide Iustinum. lib. 18. & lege dist. 11. can. Ecclesiasticum. hæc instituta Sixto. 11. adscribunt. Szeg. in Spec.

Osculandi pedum morem sic habet Prudent. in Apotheosi, & signandi frontem ex cinere, die cinerum.

Augustum caput ante pedes curuare Minervæ
Fictilis, & soleas Iunonis lambere, plantis
Herculis advolui, genua incurvare Diane,
Quin & Apollineo frontem submittere gypso.

Et Cælius August. Curio lib. Saracenicæ historiæ, de Thoma Constantinum Irenes filium se dicente, scribit, imperator Michael Hadrianopolim, vbi Thomas erat, petijt, eamque vallo ac fossa cinctam acriter obsedit, adeo vt obsessi, cibariis omnibus cósumptis, occultè cum Michaele colloquuti, pactiq; delictorum veniam, Thomam arreptum, ipsi tradiderint.

derint. Cui more antiquo, imperatorum vſu recepto, primo ejus in pavimento proſtrati cervicem pedibus contudit, tum pedibus manibuſque mutilatum, & aſino impoſitum, &c. Sic oſculandos pedes in ſalutationibus Maximinus præbuit. & Iulius Cæſar Pompeio Pæno agenti gratias, pedem cum ſocculo aurato oſculandum dediſſe legitur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19. Maximinus junior in ſalutationibus ſuperbiſſimus erat, & genua ſibi oſculari patiebatur, nonnunquam etiam pedes, quod nunquam paſſus eſt ſenior Maximinus, qui dicebat, dii prohibeant, vt quiſquam ingenuorum pedibus meis oſculum figat: Capitolinus in Maximino imperatore. Oſculari pedes ſuorum pontificum Plutarch. teſtatur populum Rom. ſolitum. Diocletianus edicto ſanxit, vt omnes ſine generis diſcrimine proſtrati ſibi pedes exoſcularentur, quibus etiam venerationem quandã adhibuit, exornans calciamenta auro, gemmis, & margaritis, quod feciſſe ante Caium Caligulam memorant. Hoc imperioſi poſt hominum memoriam animi flagitium hodie Romani pontifices in ſe transferunt, promiſcuè omnes ſe adeuntes ad pedum auratorum oſcula admittentes. Polyd. lib. 4. cap. 13. Invent. Sic Martinus 5. Sigiſmundo Cæſari pedes ſuos oſculandos præbuit. Sic Alex. 3. juſſit, Imperatori Friderico vt humi ſe proſterneret, ac veniam ab eo peteret, imperator mox juſſa fecit, tum immanis beſtia Papa proſtrati imperatoris collum pedibus conculcans ait, Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, &c. Cæſar indigne ferens hanc contumeliam, reſpondit, non tibi, ſed Petro: at Papa rurſus deprimens collum Principis, ait, & mihi & Petro. Conſtantinus. 1. natione Syrus, primus eſt qui

Cæsari Iustiniano domino suo pedes osculandos exhibet, an. 711. Szeg. in Spec. reliqui antistites dextrã manum aversam adeuntibus religiose osculandam porrigunt, quod vel ab Ethnicis sumptũ esse constat. Plin. lib. 11. nat. hist. Apul. Asini lib. 2. & Domitianus imperator ab juventa minime civilis, animi confidẽs etiam, & tum verbis tum rebus immodicus, Genidi patris concubinæ ex Histria reversæ, osculumque vt assueverat, offerenti manum præbuit. Suetonius.

Osculari manus deorum dearumq;, adire fana, salutare, vota illis facere, petere necessaria, offerre etiam. quæcunq; habeant, vestem, peplum, argentum, aurum &c. habes apud Lucianum dial. de sacrificijs. & Prudent. in Apotheosi: integram consuetudinem retinet Papatus.

Osculari statuas Sanctorum solebant veteres, in quibus aliquid divinitatis inesse opinati sunt. 1. Reg. 19. omnia genua quæ non curvaverunt se τῷ Baal, & omne os quod non osculatum est eum. Ioannes Drusius observat. lib. 2. cap. 15. & hoc seculo non est satis osculari Idola templorum, sed sunt qui in hos vsus circumferant imagunculas: alij, vt in Hispania passim est videre, deposita in extensa mappa, aut tapetis plures, cogunt prætereuntes genibus flexis eas deosculari, illis blandiri, stipem offerre, &c. præcipuè in introitu vrbium ad portas.

Ossa mortui hominis ne colligãtur, subjicit lex ex 12. tabulis inquit Lasius, aut alio in loco sepeliãtur, nisi forte is vel peregrè, vel in bello perierit: papatus latronum ossa sæpius, aut beluarum ex remotissimis aliquãdo regionibus, ac dicunt, eruta, nobis exosculanda & veneranda proponit, non sine ære tamen. & pleriq; juxta Borysthenem in sacrificijs deorum humanis

manis ossibus adolere solebant. Alex. ab Alex. lib 6. cap. 26. at papani docent suos non iurare hostijs humanis, & ossibus, sed eruta mortuorum ossa colere, & venerari: & si quid puto, lex duodecim tabularum non inhibuisset colligere mortui ossa, nisi superstitiosa illius seculi plebs in eo peccasset, & honorē deo debitum, ossibus collectis impertivisset.

Oves si lustrarentur, observatū est, vt Pastor summo diluculo aqua illas inspargeret, & sulphure herbaq; sapina, & lauro igne succensis circū ovilia suffumigaret: cumq; sacro carmine, milio & libo, cùm lacte & sapa Pali sacra faceret: quo suffitu pecora expiari, & morbos depelli, ac diras tabes exterminari putarunt. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 17. papatus vero hāc totam ovium curam dedit cuidam Vendelino. Buling. cap 34. Orig.

P

PAcis tēpli facies fere tota servatur adhuc: Cosmæ, ac Damiano hodie dicata est Merc. var. lect. lib. 1.

Pæderastiam instituisse primum Orpheum & Venerem transtulisse in teneros mares, omnis historia dicit. Sixtus 4. & Alex. 6. pæderastiam etiam permisere. Szeg. in Spec.

Panem vino intinctum dedisse in cœna pro calice & pane dicit quasdam ecclesias Iulius. 1. anno 340. in epist. ad Ægyptios. vnde irrepsit papanis mos vt & ipsi hostiam in sacrificatione Missæ vino intinctam deglutiant. deinde quod calicem populo negent.

Panes azymos Alex. 1. ad morem Iudæorū Cœnæ adhibuit, ex opinione Ebionitarum hæreticorum. Epitome signorum sacrorum Gallicè scripta: Lugduni excussa, anno 1562. cum antea oblatio ex fermētato pane fieret, vel quia Christus à Zimo consecrasset,

craſſet, vel quia Dominus per Moſem præcepiſſet, vt oblatio omnis abſque fermento fieret. Polyd. lib. 5. cap. 10. & 11. Invent. & lib. 5. cap. 9. Szeg. videtur Clementi 3. & Honorio. 3. aſcribere.

Papa ſupra jus eſt, vt in Capitolio deus Terminus, referente Varrone, non cedit Iovi: & Papa deo non cedens, eſt ſupra jus dei, in hoc quod ipſe poteſt æquitatem non ſcriptam ex ſui interpretatione præferre juri ſcripto. C. de leg. & Conc. lib. 1. & Papa contra Apoſtolum diſpenſat. diſt. 34. can. lector. in gloſ. diſt. 82. can. presbiter. in gloſ. cauſ. 15. qu. 6. can. authoritatem in gloſſatore. Papa poteſt ſupra jus diſpenſare. lib. 1. decret. Greg. tit. 7. can. Quinto. Papa deus eſt, diſt. 96. can. ſatis evidenter.

Papa omnem poteſtatem arripit ad exemplum ſacrificiorum ludæ, qui & reges & pontifices voluerunt haberi. Ioſeph. lib. 13. cap. 8. antiq.

Papas, id eſt cuſtos, pædagogus aut pater, tractum nomen à Syracuſis, vbi πας, Pater dicitur, vnde per geminationem Papas: hinc papare, eſt blandum patrem appellare. Mancinell. in hoc Iuvenal. Sat. 6. Tumidus præguſtet pocula pappas. πας referente Cælio ant. lect. lib. 6. ex grammaticis, infantuli allocutione pater nuncupatur, quæ vox per anadiplaſiaſmum facta eſt παππας, ſicuti μα dicitur mater, vnde & mammia. ſcribit in Bythinicis Arrianus, conſueviſſe Bythinos montium cacumina aſcendere, ac Iovem pappam conſalutare. author quoque Herodotus eſt lib. 6. à Scythis Pappæum Iovem dici, ex quibus elicitur omnibus, ineſſe verbo divini quidpiam. hinc Rom. Pontifex, & divinitatis & Iotietatis ſuæ ſibi conſcius, vult Papa conſalutari, aut

noſtri

noſtri ſacerdotes quem ſectæ venerantur authorem Papam vocant, vel quia pappare eſt blādis & minutis verbis patrem appellare, & aliquando cibum ſumere, illi, quoniam ipſis culinariam inſtruit, homini adulantes, Papæ dant nomen. vel quia dicunt pontificem Romanum deum eſſe, illi Iovis epitheton addunt. vel à pape interiectione admirantis Papa dicitur, vt eſt in prologo Clementinarum, vt admiratione dignum ſit videre hominem eo evadere vt ſupra deum ſe colloceret, & ſit admirabilis Babyloniæ meretrix, quæ nec deus nec homo eſt, ſed bellua, vt in Apocalypſi habetur.

Paranymphus ab Hieronymo dicitur pronubus, ab antiquis auſpex, antiqui enim pro nuptijs celebrandis auſpicium capere ſolebāt: qui præerat huic rei pro parte viri, à Græcis paranymphus, à noſtris auſpex dicebatur, & vt auſpex pro parte viri, ſic & pronuba pro parte mulieris adhibebatur, itaq; cum apud Chriſtianos auſpicia minime captentur, adhibentur ſacerdotes, qui & pronubi à papatu dicuntur. vide Auguſt. lib. 14. Civit. dei.

Parentalia vt cum ſupplicationibus miſcerentur Cic. in Philipp. morem fuiſſe dicit, & infra, vt cujus ſepulchrum nuſquam extet, vbi parentetur, ei publice ſupplicetur. Sed & cum pœnis affici crederent animas poſt mortem ob delicta, imo & revertentes ſæpius inquietare vivos: & vt Feſtus ſcribit, mundum genti'es ter in anno patere putabant diebus his. Poſtridie Vulcanalia, & ante diem tertium Nonas Octobr. & ante diem ſextum Idus Novemb. inferiorem enim ejus partem conſecratum dijs manibus arbitrantes, clauſum omni tempore præter hos dies qui ſupra ſcripti ſunt, credebant, &c. cum igitur ſupradicta

dicta ſuorum animis viventium, ac mortuorum animabus accidere crederent, eis poſt ſepulturam & funebrium munera parentabant: non diſſimiliter noſtris quando ad ſeptimum diem, aut anniverſarium, divina, in animarum ſuffragia, celebrant officia. Blond. lib. 2. Romæ Triumph. & duravit feſtum Parentalium vndecim diebus, quibus nuptæ à viris ſecumbebant, nubiles nuptias non contrahebant, ſimulachra deorum colebantur. Lavaret. de Spect. parte 3. & Virgil. 5. Æneid. has ceremonias ex parte rejecerunt papani in Quadrageſimam. Parentalibus autem ſui ſunt dies, & animabus in Purgatorio detentis ſua ſunt ſacra, & expiationes, quæ etiam putantur aliquando ad nos redire, & domos inquietare. Plutarch. de Sera numinis vindicta ait, deus vt primum mortuorum animas à corporibus tanquam fumum aut nebulam exhalaſſe novit, placationes varias defunctis inſtaurare, honoreſque ingentes ac venerationes ſolennes tribuere jubet, & poſtea ad Tænarum Tettigus Cretenſis cum claſſe applicuit, civitatemque condidit, ac juxta animarum habitaſſe expiationem dicunt, vt apud Heracleam erat alia: Mortuorum commemorationem, Pelagius inſtituit, anno 558. jam de eo quod dixi, morem fuiſſe, vt cujus ſepulchrum nuſquam extet, vbi parentetur, ei publicè ſupplicetur, lepidum eſt Franciſcanorum ſtratagema Parhiſijs, quod videre contigit cum Gallias primo adirem: Singulis matutinis ad jentaculum ex oppoſito ædium ſuarum adeunt dulciarium duo fratres, bibitur, diſceditur: ſed diutina conſuetudo inſinuat ſe in intimas vxoris Placentarij cogitationes, pactis conditionibus tandem illa ſurripit ſe marito, clauſtrumque ingreſ-

ſa,

sa, cucullum induit: amissam vxorem hospes nullibi inveniens, tandem cogitur ab ijsdem Fratribus illi parentare, & ipsa sibi justa facit inter alios, astante marito: elapso tempore cucullata cum stipatore, vt fieri solet, egressa, salutatur à vicino, & incautius rejecto in cervicem cucullo, noscitur quanta est, res ad maritum delata jam post annum, caret fide, tandem & ipse ex composito, die postero salutat occurrentem, illa more suo, omnem fabulâ putans transactam, libere resalutat, certoque innotescit: maritus cum vicinia ad Magistratum rem defert, adest ille oportune, capitur, abducitur cum omni conscio claustro in carcerem publicum, qui vix tantum numerum capit, in foro res diu disputata, cum jam ad restim res properaret, Cordigeri liberi vnicam salutiviam relictam suis videntes, mulierem veneno tollunt, atq; ita sensim magistratu dissimulante omnis turba dilabitur.

Parochi erant Magistratus apud Romanos qui publicè legatis salem & ligna præbenda curabant. Horat. lib. 8. Serm. Sacerdotes nostri ideo hoc nominis inurunt, quia quod illi corpori, hoc isti animæ ministrant: Dionysius tam presbiteris vrbis Romæ, quam aliarum gentium parochias divisit.

Parturienti Iunonem & Lucinam dat Terentius Glycerio suæ, seu verius Iunonem Lucinam: vide Alex. ab Alex. lib. 6 cap. 4. & quod decorum ipsum excedit Margarita virguncula, dea facta est partu laborantium, juncta est ei Norpurgis ipsissima Ovidij Niobe. Buling. cap. 34. lib. de Orig. cult. deor. erron. vel vt Cælius Curio ait, pasq. ecstat. pag. 106. parturientibus olim Lucina, nunc Sancta Lucia, aut vbi hæc alijs curis detinetur, Virgo Maria opitulatur.

tur. & partus faciles orant, inquit Cæl. Rhod. ant. lect. lib. 8. cap. 43. quoniam quandoque præter rationem pueruli conversi in pedes prodeunt in lucem diductis passisque brachijs, matre inde oblæsa insigniter: cujus sane periculi deprecandi gratia statuæ duabus Carmentibus surrectæ sunt Romæ: alteri quarum Postuersa nomen fuit, alteri Prosa, de recti perversique partus potestate ac nomine. Et Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25. ait, Egeriæ nymphæ, & Fluoniæ Iunoni sacra faciebant, quia putabant illarum ope conceptum egerere &c. hanc rem totam Papa Virgini Mariæ fere dat, aut saltem præcipuas partes.

Patronas vrbium, habet Homer. Iliad. 6. ποτνι, ἀθηναιη ερυσιπτολι δια θεαων, Patrona enim vrbis est Minerva, apud eum ερυσιπτολις, ac apud papatum Clara Brigida, &c.

Pax tibi, episcoporum est proprium: quemadmodum Græci pervetusto more χαιρε. Polyd. lib. 8. cap. 2. Invent.

Pedibus semper illotis erant Dodonæi oraculi pontifices, & tanquam sacrosancti super nudam humum cubare coguntur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8. Capucinos hic habeo cum pedibus à recenti platearum luto semper fœdis, sed humum cum mensula super qua nuda cubant, commutant: vt verè vulgus dicat, magno illis constare infernum.

Pedum episcopale est lituus Augurum, de quo Livius lib. 1.

Pentecostes, festum post septem hebdomadas Paschæ, die septimo mensis tertij Sivan: sunt enim 50. dies à manipulo spicarum oblato postridie paschatis

chatis: eo die Iſraelitis lex de cœlo in monte Sinai data. Exod. 20. & 21. Levit. 16. id tempus Aſarca, id eſt, Quinquageſimam vocabant, item feſtum hebdomadum. papatus & nomine & re Pentecoſten, Quinquageſimamque retinet, & novas ſuperſtitiones alias addit ex ſuo.

Peregrinationis ad Meccam, & precationis facie verſa ad orientem, meminit Mahumeta. lib. 2. cap. 1 Alcoran. & peregrinationes ad ſtatuas per Indulgentiam, Greg. 1. confirmavit. Szeg. in Spec.

Peſti occurrit Sebaſtianus, cujus imago non multum abſimilis eſt Homerico Apollini lethales ſagittas in Græcorum exercitum atque puppes jacienti. Buling. cap. 34. Orig.

Pictura delectantur antiquitus ſupra alios Athenienſes: & certamen picturæ Corinthi & Delphis fuiſſe lego: cujus autem dei ſub tutela ſit, non lego apud veteres. Buling. autem loco jam citato, ait papam dediſſe pictoribus Lucam quem venerentur, qui tamen medicus fuit, non pictor: jure igitur cum pictoribus & Papa poſſunt expoſtulare medici.

Piſtoris Iovis ara Romæ fuit in Capitolio. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 11. Papa pro Iove Sanctum Hubertum dat.

Πιθοιγια menſe Novembri celebrabantur apud Athenienſes. Plutarch. in 8. Sympoſ. 10. ſicuti noſtris temporibus in omni fere Europa vndecima Novembris quæ D. Martino dicata eſt. Mercur. variar. lect. lib. 1. cap. 15.

Planipedalia Capucinorum videre eſt apud Joſephum de bello Iudaico lib. 2. Iuvenal. Satyr. 6. & Hegeſipp. de bello Iudaico. lege Nudipedalia.

Poderis ſeu ſacrum pallium, Numæ eſt inſtitu-

tum

tum, quod æneum facit. Livius lib. 1. Decad. 1. argenteum facit Papa. & Pallium, ait Tertull. lib. de Pallio, ex viliori panno confectum veteribus episcopis dependisse ab humerali fibula ad imos pene talos, cum bardoculo in occipitio, qualis est nautarum cucullus contra pluviam. Socrat. lib. 4. cap. 9. idem testatur: at pallium hoc rude cum byssino commutant Papæ, & ad suos tantum reservarunt vsus Gangrens. Concil. art. 12. postea ad ideam verbalem hujus Pallij, Archiepiscopis consutum est novum genus, venale magno argento, in quo plenaria dignitatis hujus consisteret perfectio. dist. C. Per tot. & tot. tit. de vsu pallij. & lib. de sacris ceremonijs Rom. Ecclesiæ.

Pœnitentiarij seu Ninivitæ qui se flagellãt, à Romanis Lupercis institutum derivant, aut ab Ægyptijs qui tale quid factitabant teste Herodot. cap. 4. Apul. lib. 8. Metam. de Sacerdot. deæ Syriæ, lege Flagellantium.

Pompæ ordo quæ Papam comitatur à Paulo Samosateno hæretico Antiochiæ episcopo est, ille enim cœpit inter viam præ insolentia literas relegere, & dictare, multis constipato agmine præcedentibus ac subsequentibus. Polyd. lib. 8. cap. 5. Invent.

Pontificem Maximum Numa Martium Marci filium creavit, cujus potestati omnia sacrorum jura subjecit, constituitque eum, teste Festo, judicem ac arbitrum verum æquè divinarum vt humanarum. fuit id, credo, certum portentum, quo est significatum vrbem Romam postremo perinde pontificiæ majestate, qua nunc late patet, gentibus moderaturam, atque olim potentia imperassset. Polyd. lib. 4. cap. 12. Invent. Bonifacius 3. obtinuit à Phoca imperatore

peratore vt ſedes beati Petri omnium Eccleſiarum & haberetur & diceretur caput. Paulus Diacon. de geſt. Lombard. lib. 4. cap. 11. anno Domini 604. & pontificem ſummum eligunt vnum inferiores pontifices apud Romanos ex inſtitutione Numæ. Feneſtella de Magiſtrat. Rom. & Cardinales hodie Papam, qui pontifices videntur inferiores. Sed omnia quæ ad hanc rem pertinent apertius ſic habet Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8. Pontifex. Max. genere & dignitate præcipuus erat, & aliorum longe princeps: huius fuit religiones & ceremonias publicas privataſq; ſacra & res divinas ſanctiſſime tueri & interpretari, illaque omnia exſcripta ſignataque habere, vt quibus aris, quibus dijs, quibus hoſtijs, quibus diebus, & ad quæ templa ſacra fierent perſpectum haberent: ne qui Romana ſacra negligerent, peregrinoſque ritus adſciſcerent, aut deorum ceremonias turbarent. ad quem tam de cœleſtium deorum ſacrificijs, quam de funeribus, juſtiſque exhibendis, placandiſque manibus, ac ſupernis inferniſque dijs, de ſepulchris & votis rite exſolvendis, de ferijs, religione, pietate, ſanctitate, de ceremonijs deorum, deque fide & jurejurando, ſacrificijſq; ſolennibus, plebs quoties videbatur, tanquam ad antiſtitem deorum immortalium, ceremoniarum & ſacrorum, conſultum ibat. ipſeque Pp. Max. precationes ſupplicationeſq; deorum cum pontificali carmine præire, comitia habere, dieſque feriatos indicere, quo quiſque deus ritu, quove die colatur, quibuſque precibus advocetur, & quid quaque die operis fieri vel non fieri publicis ferijs conveniret, edocebat: ac non ſolum reip. ſacra, ceremoniaſque curare, ſed de rebus quæ ad religionem pertinent

judicia ferre, contumaciæque minorum magistratuum vindex esse, sacrificantes observare, piacula-que iræ deum conquirere, ne secus quam præscriptum esset, sacra fierent: neve incerta auspicia, aut turbatæ religiones adversus mores institutaque majorum observarentur: vtque super impetranda venia, venerandisque dijs justa solennia exhibeantur, cavere debebat, tum religionis arcana & divinas traditiones cognoscere, & si quid religioni minus verè adscriptum esset, religione liberare, aut numinibus obligare: de Vestalium capite decernere & ferre sententiam, quæ sacra, quæve prophana essent, dijudicare, neve quis prava religione populum alligaret Maximi pontificis officium & munus erat: vota etiam solennia quibus verbis concipi, quibusque pecunijs exsolvi deberent, pontificum decreto cavebatur, illorumque arbitratu vel exoluebantur, aut non rite emissa denuo concipiebantur. & quamvis proprium sacerdotis esset, nec imperia, nec magistratus gerere, nec equo vehi, aut trinoctio ab vrbe abesse, poterat tamen idem consul vel censor esse & pontifex, pariter religioni & reip. præesse, ab vrbe trinoctio abesse, equo vehi, vel pedibus ire: pontificemque regiæ dignitati proximum Romani crediderunt: nam & lictor apparebat, & curuli sella ac lectica insignis erat. cumque cæteri honoribus functi, rationem administrati muneris reddere cogerentur, pontifex tamen Max. pro majestate gesti honoris, rationem dare minime cogi poterat: ipsique pro imperio & potestate, quoque plus dignitatis ferret cum galero esse, & carpento, vt reliquis sacerdotibus, ingredi licebat. diuque Romæ pontifex, qui antea curuli sella non sedisset, nemo creatus fuit, do-

nec lapsis temporibus ex plebe & patribus nullo delectu aut discrimine admitti cœpêre. Cumq; ad collegium pontificum pertineret, in dimortui locum, alium cooptare. Cn. tamen Domitius Trib. plebis offensus collegio, quod le in numero pontificũ non cooptassent, jus subrogandorum pontificum sacerdotumq; à collegis ad populum transtulisse fertur: & licet à collationibus multi fuerãt sacerdotes immunes, sunt tamen exempla, pontifices & sacerdotes pecuniam per bellum conferri solitam in stipendium contulisse, illamque quæstores sæpe exegisse, frustraque pontifices tribunos appellasse cum se ob sacerdotium immunes dicerent. Crasso prætori & pontifici belli summa commissa est. & Livius pontifex pro prætore ordinibus præfuisse dicitur. & jus civile inter sacra ceremoniasque multa secula abditum, solis pontificibus patebat. & ad pontificum minorum collegium interpretandi juris, & an posset lege agi, quæque competeret actio in judicijs declarandi jus spectavit & pertinuit. animadversum quoque est, pontificis vxorẽ singularis exempli & magni documenti esse oportere, vt sicut ab omni noxa & libidine ipse mundus erat, ita vxor casta & innocẽs maneat: quodq; ex octo pontificibus, pontifex Max. reliquis præest, & prope dominatur, cui rex sacrorum, augures, & omnes flamines ac vestales virgines parent, quibus multam indicere, & pœnam irrogare poterat: neque solum ab omni sanguine puras manus pontificem servare decuit, sed ne participem quidem, aut consciũ alicujus necis fieri. hæc ille. Iam vide nostros pontifices, & pene omnia hæc in se transtulisse videbis, alia addidisse, alia mutasse, nã de potestate Papæ sic differit Iason in Concil. 145.

circa primum, num. 3 vol. 1. Papa est omnia & super omnia. Papa est supra jus, extra jus, Papa est dominus dominantium, & jus regum habet in suos subditos. Papa potest mutare quadrata rotundis. Papa est causla causlarum, vnde non est de ejus potestate inquirendum, cum primæ causlæ nulla sit causla. en tibi prærogativam Papæ in humanis. In divinis autem Papa est supra jus, in hoc quod ipse solus potest æquitatem non scriptam ex sui interpretatione præferre juri scripto, Cic. de leg. & Concil. 1. & omnis sufficientia est in Papa licet ignaro & insufficiente, & omnia jura in pectoris scrinio habet Glos. ad Sixti lib. 1. de renunc. tit. 7. lit. 1. Calixtus. 2. à Romana Ecclesia dissentire non licere decrevit, addens bellā rationem, vt filius, inquit, venit facere voluntatem patris, ita Christianos oportet facere voluntatem matris Romanæ Ecclesiæ. Fabianus Papa contrarium statuit, vt est caus. 11 quæst. 3. qui omnipotentem. item si deus non semper. lege & Symmachi decretum caus. 8. quæst. 4. decretis pontificum authoritatem apostolicam tradidit Nicol. 1. Imo Papa contra Apostolum dispensat. dist. 34. can. lector. in gloss. 82. can. presbiter in glos. caus. 15. q. 6. can. authoritate. in glossatore. & in his quæ vult, est pro ratione voluntas, & de injustitia potest facere justitiam, &c. & alia, si esse possunt, his absurdiora, vt suis locis hic vides. Iam vxorum contubernium cum scortillis commutarunt Papæ, & quanti exempli sint, doceat Alex. 6. filia cujus hoc exstat epitaphium.

Hoc iacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Quod

Quod à cædibus sibi caveant, Sixtus. 4. docet: cum enim.

Non potuit ferum vis vlla extinguere Sixtum,
Audito tandem nomine pacis, obit.

Et ne infinita quæ dici possent hic percurram, historia lector te docebit quæ debeant his adsui plurima. tempore Eugenij tertij incipiunt papæ rapere potestatem gladij civilis: jussit enim Eugenius, vt Episcopi carcerem haberent ad plectenda delicta clericorum, anno 660. tamen prophana tractare Papis prohibuit. Vrbanus. 2. statuit, propter defensionem civilem clericos debere tributum pendere posteà testati, vt est caul. 23. quæst. 8. can. tributum. item cau. 11. quæst. 1. can. si tributum. Bonifacius 8. tributa à clero pontificibus dari prohibuit. Nicol. 1. dicebat pontificem nec solvi nec ligari à seculari potestate posse, quod pontifex deus appelletur, quo factum pontificium satis expressit: & clericum à laico in jus vocari vetuit Clemens. 1. Alex. 1. Fabianus, Iulius. 1. & ne servi in clerum recipiantur Bonif. 1. instituit, ne clerici belligerentur Nicol. 1. jubet. clero tributi principibus dandi immunitas à Bonif. 8. concessa. de clericorum vita judicare prohibuit Nicol. 1. & gladium vtrumque sibi arrogat Bonif. 8. anno 1295, Szeg. in Spec.

Porcus Pani & Sylvano commendabatur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 12. nunc autem immundissimos porcorum greges custodire cogitur miser Antonius.

Prædia Vrbanus pontifex anno 227. jussit clerum habere, in hoc secutus Hebræos apud quos sacerdotium opulentissimum fuerat. Polyd. lib. 6. cap. vlt. Invent.

Preces pro mortuis sic habe. Mulcibero faciunt Pagani templum in Ætna monte: hos imitatus Odilo, cum audiret gemitus in mõte, putavit esse locum Purgatorij, vbi forte suos malleos exerceret Vulcanus & Flabella, circiter annum Christi 1000. suis monachis rem revelat Cluniacensibus, qui ex communi consilio postridie omnium sanctorum mense Novembri mittant animabus in Ætneo purgatorio detentis, & preces instituunt. Viret. in Cosmogr. infernali. dial. 1. at Claudius Guichard. Funeral. lib. 1. cap. 1. ait, veteres Romani certiores à quodam re. divivo facti preces vivorum auxilio esse mortuis, & sacrificia & oblationes, & quæ sunt hujusmodi pietatis exercitia fecerunt, & pro impio eum habuerunt qui opem suam quantam posset mortuis negaret. & cap. 8. lib. 1. ait, inscripserunt Romani sæpe marmora his verbis, multis annis vivat qui dixerit, sit tibi terra levis. & hinc derivato more jubemur à papatu Christiani prætereuntes orare pro mortuis, & dicere, Requiescant in pace animæ omnium defunctorum. & cap. 19. lib. 1. ait, quotannis postremis Februarij vndecim diebus populus Romanus epulabatur ad sepulchra mortuorum, oravit pro defunctis, & sacrificia obtulit cum cereis & lucernis, quæ ceremoniæ introductæ sunt ab Æneæ & per tot secula observatæ etiam inter Christianos, vt ad radicitus tollendum abusum, & populi superstitionem male instituti in Christianismo, qui adhuc saperet suum ethnicismum, Papa ad requisitionẽ Archiepiscopi Turonum verterit ceremoniã in festum epularum Beati Petri. & ibid. puto habuisse veteres in consuetudine positum, dum pertransirent sepulchra mortuorum, vt dicerent Salve & Vale, parimodo

do atque, Sit tibi terra leuis: quod etiam vsque nunc Christiani videntur obseruare in suo requiescant in pace. & cap. 8. lib. 1. ait, prope monumentum erigebatur ara super qua instruebant conuiuia in oblationem pro mortuis, seruabatur mos in prima Ecclesia, vt Augustinus de matre sua narrat. hæc ille. verum quas dicit ceremonias ab Æneæ introductas, tantum abest vt pro desitis habeantur, vt potius vitiosius hoc ævi re præsententur in papatu.

Præsa porca, Cereri in satisfactionem oblata est pro integra familia, cujus pars sacrificio cedebat ante corpus nuper defuncti, & jam sepeliendi. hoc sacrificij cum Missa de Requiem commutat Papa, & prece pro vivis & mortuis.

Primitiarum munus quia Domino offerebatur, ideo Eutichianus pontifex voluit, vt nostræ fruges sic in altari consecrarentur, velut apud Hebræos oleo & thure adolebantur: alij panes diebus dominicis pro his primitijs offerunt, qui variè distribuuntur; lustricos vocant, vulgo benedictos. Polyd. lib. 6. cap. vlt. lege Lustrici Panificij, &c. Plinius abstinentiam Romanorum commendans, inquit, non degustasse eos vina, aut novas fruges priusquam sacerdotes primitias libassent: quod quidem diximus, ait Blond. Triumph Rom. lib. 1. quia & hoc eodem primitiarum vocabulo nostros sacerdotes vti videmus, hæc ille. Sed per deos non tantum voce, sed & ipsa re vti vidi, vt penitus consuetudinem veterum retineant.

Processiones, supplicationes sive rogationes, primus instituit Mamercus Viennensis episcopus in frequenti motu terrarum. Leon. 1. quas nostri Grauami lecutivocé, Litanias, & vulgo processiones vocant,

Minores autem processiones diebus dominicis in templis, vel circa templa habendas Agapetus pontifex dicitur primus instituisse: quod vel Ethnici faciebant, teste Servio super illo Virgilij.

Sic memorat, simul Aeneam in regia deducit
Tecta, simul divum templis indicit honorem.

Ita Romani factitabant, & aliæ pleræque gentes, à quibus ad nos ritus hujusmodi dubio procul manant. Polyd. lib. 6. cap. 10. Invent. præterea sacerdotes, in supplicationibus, divorum personas agunt eorum imagines aut reliquias ferentes, viæ & plateæ variis odoribus consperguntur, floribusque sternuntur, ac demum aliquot præficiuntur qui jubeant viam dari, vt pompa sine impedimento procedat: sic sacrificalis pompa apud priscos ducebatur teste Dionys. lib. 7. Caton. in Marcum Cæcilium. Plaut. in Rud. Apul. lib. 11. metam. alij dicunt, supplicationes, quas processiones vocamus, fiebant circa delubra, fanaque & pulvinaria, in quibus honos dijs dabatur, præcedentibus pueris ingenuis & sacerdotibus coronatis, ac laureâ tenentibus manu, voce modulata canentibus carmen, subsequente Pontifice Max. vel Curione, deinde sequentibus patricijs ac senatoribus cum conjugibus ac liberis plerunq; coronatis Blond. lib. 2. Romæ Triumph. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27. ita & Numani incedebant pacem precantes, iram avertentes, orantes, & expoſcentes fructuum copiam. primo incedunt pueri, inde presbiteri Albis induti, hymnos, psalmos & cantica psallentes, &c. sæpius etiam processioni adjicitur vexillum, quod veteres Romani Labarum vocitarunt, Antenor in eo effigiavit porcum. ex lib. Messalæ ad Oct. Augu-

Augustum. hoc Antenor Iunoni reginæ cœlorum dedicat, porca enim Iunoni sacra est, Apul. lib. 11. Metam. Caduceum Mercurij sequentes Romani, alij aquilam, &c. erat vexillum quadratum ex bombice coccineo violaceo, adornatum fimbrijs aureis, & argenteis, intermixtisq; gemmis. & labarum cum effigie crucifixi, aut alterius divi, suæ processioni cū crucibus addit Papa. Vrbanus autem pontifex anno Christi 1264. jubet hostiam circumferri in processionibus, vt veteres Romani sua numina deferebant. Alex. ab Alex. ibid. Supplicationum apud Macrob. aliæ sunt conceptivæ, aliæ Stativæ aliæ imperativæ, lustrales, vicales & arvales cum observationibus ex Numæ instituto. omnia retinet papatus.

Procorum & amicarum, vt conjugum amoribus præest Helena Constantini mater: illa si reciprocus est amor, offert se cum aliquot pulchris nymphis, & lauta cœna instructa cum monacho jejuno ecstatico epulatur. sin fictus sit amor, & simulatus, illa gladio, igne, & varijs imaginibus ludit, & territat miseros. & jam in vrsum, jam in aprum, postremo in asinum versa, magno strepitu abscedens. ostendit eos, porcos, asinos, & vrsos arcadicos esse. Cæl. Curio pasq. restat. pag. 27. En Veneris & Cupidinis filij, omnia monstra Helenæ concessa.

Proventus sacerdotum in gentilium Romanorum religione, erant tanti & tales, vt ex illis nedum rem sustentarent familiarem, sed fomenta inde ad fastum eis luxumque provenirent: cum tamen Sacerdotes ipsi vxorem filiosq; & familias ex sacerdotio æquè ac patrimonio alentes, publicis omnibus, præter admodum pauca, muneribus fungerentur, & militiæ ac mercaturæ, aut opificio, prout cuique conti-

contigerat, libebatque vacarent: eaque sacerdotia fuerunt qualia nos Christiani propriore vocabulo, Beneficia appellamus. Blond. lib. 2. Triumph. Romæ. & hoc addere debuisset, curare papanos modo eadem quæ & illi veteres, si pro vxoribus scorta admiseris: ii enim laicorum quis primam, vt vocant, induerit tonsuram, potest sacerdotium habere, vacare mercaturæ, reip. justitiariæ, aut opificio, vt passim in claustris fit.

Psallendi rationem per Antiphona, id est choros sibi alternatim succinentes, primus Constantinopoli instituisse Ioannes Chrysostomus legitur, æmulatione quadã Arrianorum, qui ad oratoria sua extra vrbem procedentes, inter eundum ea modulatione vtebantur, singulari quadam pietatis specie: ne itaque simpliciores è saniori Ecclesia, illa hypocrisi abalienarentur, similia ipse quoque instituit, & quidem majori cum splendore & magnificentia, additis ardentibus facibus, & argenteis quibusdam crucibus. Socrat. lib. 6. cap. 8. Sozomenus lib. 8. cap. 8. Servat quæ à Græcis accepit Romanus Papa.

Psallere & saltare diebus festis ab Ethnicis est, nam & illi ita in stativis ferijs factitabant. Virg.

Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt,
Immemores nostri festas duxere choreas.

Hæc ab Hetruscis ad Romanos venerunt. Zacharias pontifex simul testatur, simul prohibet sub pœna anathematis, Polyd. lib. 6. cap. 2. Invent.

Publica sacra dicebantur pro vniverso populo sacrificia. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 8. sicut Missa major solennioribus diebus toti populo communis est, nec vænalis vt illæ privatæ, & certarum aut familiarum

rum & perſonarum, ſed quæ pro omnium peccatis delendis ſcarificetur.

Pueros natos Romani Pilumno & Picumno dijs præſidibus commendabant, neque Sylvanus in domum irrumpere valeat, quem vexare pueros opinio erat, ad fores ædium tres viros qui pervigiles domũ circuirent, advocabant, &c. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22. & papatus credit Albatas mulieres, & id genus laruas, pueros integros auferre, alioſque ſuggerere monſtruoſos, & debiles multis partibus: aut ad baptiſterium cum alijs commutare, aut ad templi introitum.

Puerperæ quod purgantur aliquot diebus à partu per ſacrificulum à Iudaiſmo eſt, in Levit. Polyd. lib. 5. cap. 5. Invent. noſtræ autem mulieres loco agni, columbæ, aut turturis ceream offerunt cum pecunia.

Pulla veſtis à Varrone agnoſcitur, quam Anthracinum vocat. & Apul. lib. 2. Metam.

Pulſant baculis ſcamna poſt veſperas in Quadrageſima papani, exemplo à Iudæis mutuato: die enim 14. menſis duodecimi, circa quintam & ſextam Martij Iudæorum Bacchanalia, feſtum ſortium dictum, à Mardocheo inſtitutum: quo die Iudæi extra Suſa habitantes à cæde deſtiterunt, læti ob inſperatam converſionem periculi in ſummam tranquilitatem. hiſce diebus legunt in Synagogis hiſtoriã Heſter, & quoties mentio fit Amani, pugnis & malleis ſcamna pulſant. Eſther. 9.

Purgatorium ex Ætna monte ſtatutum, & Ethnico dogmate natum. Szeg. in Spec. Purgatorium vide apud homerum Odyſſ. 11. Virg. Æneid. 6. Plutarch. in Com. de dæm. Socrat. Platon. lib. de Animã

ma. & in Gorg & Phœdon. Crinitum de honesta disciplina lib. 5. cap. 11. & Zoroast. magic. orac. libello. Damnatorum sedes est in Plat. Axiocho. Euseb. de præp. Evang. lib. 11. cap. 18 20. Limbus infantum, Virg. 6. Æneid. en tibi tres cellas orci pontificij, pœnas autem Purgatorij sic habet Virgil.

Non tamen omne malũ miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris,
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patimur manes, exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arua tenemus,
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit,
Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem.

En Purgatorium quale in legendis Aureis describitur. Purgatorium ex Iudaismo est. 2. Reg. 16. & 23. de Valle Ennonis. Alcoran autem Ascare 29. 46. & 5. ignem Gehennæ non nisi numero dierum præterminato animas sentire docet, Epitome sacrorum signorum gallicè scripta, & excusa Lugduni anno. 1562. & deo Astaroth posita est mensa singulis diebus cum polline, vino, & alijs. & papani postridie Pantheon quisque apud se mensam animabus Purgatorij ponit vespere, data etiam mercede puerulis, qui prece eas ad comessationem evocent è latebris abyssi suæ. & vox est canentissima apud veteres, magos posse & deos & sepultorum animas elicere è su-

ſis locis in auras. huic ne cederet poteſtati Papa, cogitat purgatorium è quo & ſuis exorciſmis eliciat animas. Sed & Euſtathius Iliad. A. & Cæl. Rhod. lib. 17. cap. 21. dixere veteres vſſiſſe mortuos ideo quod putarẽt diuturnitate vitæ hujus ſe pollui, quæ maculæ debeant igne elui, vt felicitate propoſita gauderent deinceps. an à corpore ad animã tranſlata ceremonia, papani ſuum nobis fabricarunt purgatorium, vbi ignibus elueretur animæ omnis nævus quem in vita humana contraxiſſet.

Q.

QVadrageſimæ initium ſeu feſtum Privicarnis ſic habe. poſt hunc alius pari laſcivia ludus ad nos tranſijt, nam vt veteres in quinquatrijs minoribus & Megalenſibus, perſonati per vrbem ludendo incedebant, ita noſtri morẽ induendi perſonas non vno vel altero die, nec ſacrorum cauſſa, ſed turpi inſaniendi ſtudio, duos continuos menſes ante Quadrageſimæ initium ſtolidè ſervant, ſub qua inveterata delirandi licentia, ſexcenta flagitia quotidie faciunt, & illud impune perindè quaſi eo modo cuique liceat eſſe ſcelerato, nihilque maleficij credatur committi, ſi vera hominis facies non videatur, perinde ac non pateamus etiam deo, quem nemo ambigit fandi atque nefandi juſtum eſſe judicem, qui & improbos pœna, & probos præmio ſemper afficiat. Polyd. lib. 5. cap. 2. Invent. Quadrageſimale jejunium Greg. 1. mandavit. Piſciculis tantũ non piſcibus veſci jejunantibus ab eodẽ conceſſum eſt. ova jejunantibus interdicta ab eodem. huc etiã referri poſſunt ſtultorum feriæ apud Romanos menſe Februario factæ. Ioan. Boc. Aub. de gent. mor. lib. 3. cap. 15.

sic ait. quo item modo tres præcedentes quadragesimale jejunium dies peragat, dicere opus non erit, si cognoscatur qua populari, qua spontanea insania cætera Germania, à qua & Franconia minime desciscit, tunc vivat: comedit enim & bibit, seque loco jocoque omnimode adeo dedit quasi vsui nunquam veniant, quasi cras moritura hodie prius omnium rerum capere velit satietatem: novi aliquid spectaculi quisque excogitat, quo mentes & oculos omnium delecter, admiratione neque detineat, atque ne pudor obstet, qui se ludicro illi committunt, facies larvis obducunt, sexum & ætatem mentientes, viri mulierum vestimenta, mulieres virorum induunt: quidam Satyros aut malos dæmones potius repræsentare volentes, minio se aut atramento tingunt, habituq; nefando deturpant: alij nudi discurrétes Lupercos agunt, à quibus ego annuum istum delirandi morem ad nos defluxisse existimo: non enim multum diversus est à Lupercalibus sacris, quæ Lycæo Pani in mense Februario olim à nobilissimis Romanorum juvenibus celebrabantur, qui nudi, faciesque sanguine fœdati per vrbem vagantes, obuios loris cædebant, quos nostri saccis cinere refertis percutiunt. hæc ille. vide Carnisprivij.

R

RAdit mentum sacrificulus noster ex sacerdotum Ægyptiorum more. Lucian. dial. de sacrificijs. & apud Rom. consuetudinis fuit, captivitate liberatos currum triumphantis sequi raso capite & pileatos in notam adeptæ libertatis: Longobardi item hunc ritum in rebus fœdissimis habuerunt: tamen Papa morem ad suos transtulit, jussitque verticem radere

et

et Longobardorum dedecus induere: at Deus per Moſen ſacerdotes, vt in Levit. patet, capite & barba raſa eſſe vetuit. & apud Ezechiel. præcepit, Sacerdotes caput ſuum non radant neque comam nutriant, ſed tondeant. Herod. in Euterpe, & Plin. ſcribunt ſacerdotes Ægyptios conſueviſſe deraſis capitibus mœrere, & in luctu eſſe ex morte Apis, meminit & Apul. 11. Metam. Capitis verticem ſpheralæ inſtar radendum ſacerdotibus præcepit Anicetus. Vitellianus tonſuras mandavit, vnctiones præcepit, & ſub illis authoritatem emendi & vendendi conceſſit in nundinationibus papiſticis. Apoc. 3. Gregor. tonſuram, præcipue magnam, arrogantiæ tribuit: alibi aſſerit inductam valetudinis gratia. Szeg. in Spec. & raſo capite vt ſemper ſint Iſidis ſacerdotes, lege lata apud Memphim conſtitutum eſt. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 12. & hujus inſtituti authores ſunt inter Romanenſes, Anicetus, vt eſt diſt. 32 can. prohibete. item Martinus, vt eſt in eadem diſt. can. non liceat. item Gregor. vt eſt in can. Si quis. item Concil. Agathenſe, Can. Clerici. de allegoria attonſi capitis à pontificijs excogitata, lege Cauſ. 12. qu. 1. can. duo ſunt. lege & Auguſt. in Sermon. ad Heremitas. Serm. 20.

Regna ſortiri inter æquales feſtis Saturni diebus, & tanquam reges imperitare mos fuit: qui etiã Romanis cum Græcis & extetis communis fuit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22. circa idem tempus inter æquales, regis fit electio ad Epiphaniæ noſtræ, ſeu trium regum feſtum, & rex fabaceus dicitur, ex ſorte nomen habens.

Regum juramentum, & creandorum jus ſic habe, referente Iulio Cæſare. In more poſitum habebant veteres

veteres Galli, ne quis rex alicui præficeretur reip. niſi à Druidibus inauguratus, vt qui juſtitiæ publicæ præeſſent, & creandis regibus. & Rex Romanus ex Romuli inſtitutione, ab Auguribus inauguratus, ad pontificem Max. deducitur, is ad forum deducit novum regem, & jurare jubet. primò, ſe ſacra deorum piè & ſyncerè retenturum. 2. jura ſanciturum patriæ cum cura & induſtria. 3. vrbem Romam defenſurum conſtantia & fortitudine. 4. & populum cum ſtudio & prudentia. 5. denique præſtiturum ſe pontifici Romano, Flaminibus & Fecialibus debitam obſervantiam. Iam quod Papa ſimili fruatur ſupremo ſacerdotio, voluit etiam hanc ſibi poteſtatem cum Druydibus, pontificibus, & auguribus Romanis eſſe communem, & quoniam impoſſibile eſt vt tranſlata in omnibus ſuæ reſpondeant origini, mutatis ſcilicet temporibus, locis & perſonis, hinc Papa non ſolum inaugurare, ſed creare, & dejicere de ſtatu, quaſi rex regum, & qui totius mundi obtineat principatum. lib. 3. Sixti tit. 16. can. periculoſo. & non ſolum ſacramento adigere populum in verba regis, ſed & jurejurando abſolvere, non tantum pro rege, ſed & in regem, Imperatorem, &c. & armare contra principem ſubditos poteſt, & nolenti populo reges obtrudere: ita vt quæ penes Druydes erat & Romanos conſecrandi poteſtas, non nominandi, apud Papam ſit integra cum vult, nulla populo parte relicta: ſic nolentibus Portugallis dat Hiſpaniæ illis regem. & ex duce regem facit Portugallum. Henricum Angliæ dat in prædã ſuis, vt functum vita Gallum, & varios imperatores, Navarrum ſubdidit teſtamento Baldi, qui poteſt capere, capiat.

Repræſentationis in imagine formam ſic habe ex

Cæl.

Cæl. lib. 9. cap. 5. ant. lect. quod coluerunt Ægyptij Simia erat, aut ibis, aut hircus, aut id genus aliquid: quo repræsentabatur divorum aliquis, aut dæmon. Sic Papa, sculptilia sua jubet repræsentare quos colendos offert deos, inquit enim.

Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa,
Nam deus est quod imago docet sed non deus ipsa.

Reverendi nomen rasis suis concedit Papa, ipse autem cum deus sit humano fastigio, vt sæpe dixi, sibi augustior, hæc regum infimorum nomina asseclis suis satis est largiri. veteres enim, ait Plutarch. Comment. quod Princeps sapere debeat, suos reges reverendos & venerandos appellarunt, additque rationem, quoniam hæc epitheta eis præcipue debentur, qui timore vacant; debeatur igitur jure Papæ & suis, qui omnem potestatem subditam habeant, cui nullus audet dicere, Domine, cur ita facis? in extravag. tom. 22. tit. 5. can. ad apostolatus: in glos. 2. lib. 1. decret. tit. 7. can. 5. vide glossam.

Rosaria seu Spherulæ precatoriæ quod ex gagate fiant hinc est. ait B. Porta Phytognom. lib. 3. cap. 13. gagates lapis nigerrimus est, contra dæmona valere dixit Marbodæus, & per dæmones phantasmata melancholica intelligit, quæ ab Evace dæmones vocantur. tradit etiam Mesues, oleum gagatis valere contra dæmoniacos. & Proclus aqua & aspalatho suffumigato fugari dæmones dixit, non est igitur à ratione alienum, ait, quod in numerandis sacris precibus vtantur gagatis bacculis. Et Petrus Eremita Gallus Ambianensis sub Vrbano. Pp. anno MXC. modulum orandi per rotulos ligneos, quod vulgus modo Precula, modo Paternostros appellat. nimirum rationem habuit ille vitæ militaris, nego-

tioſæ ſimul & otioſæ, vt quantum ab hoſtibus carnalibus daretur otij, id contra hoſtes ſpirituales impenderetur, ſatius eſſe ratus, oratione, licet perfunctoria, quam ludo vel fabulis tempus fallere. Gæterum cum non quæ multa, ſed quanta cum fide preces fiant κατ' ἐξοχὴν ille ſpectare ſoleat, omnibus in vniverſum in omni vita cum Chriſto ſéper orandũ erit, ità quidẽ vt preces ponderentur, non numerẽtur.

Rubiginem à frumento avertit ludocus: bruchos abigit Magnus, & horum quidem ſimulachra extructis in ſacellis non raro inter arva videre eſt, nimirũ vt ad Priapi morem ſint avium maxima formido, ſeu canit Flaccus. Buling. cap. 34. Orig. & Robigália à Numa quoque inſtituta ſunt, ne rubigo ſegetes, neve vredo aut grando invaderet: ideo ſexto Calendas Maij agebantur, quo die Robigo deo ſacrum fieri docuit. Alex ab Alex. lib. 6 cap. 8.

S

SAcerdotibus Iovis nec capere, nec petere Magiſtratus permittebatur. Blond. lib. 1. Triumph. Romæ, at Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8. ait. Pontifex Max. pariter & reip. & religioni præeſſe potuit, & ordinibus, & bello, & contumaciæ minorum magiſtratuum vindex eſſe, & Feſtus ait, Maximum eſſe dictum pontificem, quod maximarum rerum quæ ad ſacra & religionem pertinerent judex ſit, vindexque contumaciæ privatorum magiſtratuum. Iam hæc in ſe tranſtulit Papa, neque emi capit, nec petit Magiſtratus, quoniam ſua ab alio nemo petit, nemo capit & cum, vt dixi, dominus ſit totius mundi, authoritati ſuæ omnia credita, regit: ſic ait Blond. dec. 2. lib. 9. ab Inclin. Rom. Imp. Alter à pontifice Bonifacio veniens

veniens nuncius Narbonensis archidiaconus, postquam dimittendo episcopo Apamiensi (vinctum enim hunc habuit) regem durum vidit, duriora & ipse pontificis mãdata protulit. protestatus enim regnum Franciæ ad Romanam spectare Ecclesiam, illum monuit, vt à regalibus abstinens gerendis maneribus, quicquid à regno in id tempus sibi quæsitũ erat, pontifici & Ecclesiæ conservaret: quinetiam adstantes, qui forte salutatum regem convenerant, prælatos, principesque, & cæteram nobilitatem atque militiam archidiaconus pontificis verbis à juramento absolvens, quo regi fuerant aliquando obligati, jussit vt primo quoqi tempore & ipsi & cæteri, ad quorum aures ea admonitio perveniret, Romam ad pontificem se conferrent, pronunciavit: & paulo post archidiaconus indulgentias, concessiones, indulta & gratias quotquot id regnum ad eam diem à pontificibus Romanis habuerat, tamdiu suspensas censeri, quoad singulas cuique à Bonifacio pontifice denuo impetrassent.

Sacerdotiorum, sicut & beneficiorum duo fuisse genera apud Gentiles Romanos videmus: vnum quod sacris esset addictum locis, quæ reip. aut principum aut pontificum collegij collationis esset: alterum, quod ædis aut sacelli juris esset, à patrefamili, asearatione erecti dedicatique, vt & sacrorum cura, & fructuum ipsius sacerdotij perceptio, ad solam gentem familiamqi suam, perpetuis successionibus devolueretur, quæ sacerdotia priscis gentilitia, nostris beneficia juris patronatus sunt: Sic Cic. de Aruspic. responsis. multi sunt etiam hoc ordine, qui sacrificia gentilitia illo ipso in sacello, statuto anniversali factitarunt. & Cic. leg. 1. Livius 9. Tacitus de O-

thone, & Vitellio. Primi generis sacerdotiorũ publicè institutorum quincuplex fuit proventus: sacra enim constituentes fundantesq; loca, varias fundorum possessiones stipendiaque adjungebant, a quibus Sacerdotum alimonia proveniret, vnde Livius Numam Pompil. facit, cum Flamines & Vestales instituisset, stipendia eis de publico instituisse, quod quidem alios omnes sacrorum fundatores locorum imitatos fuisse nullus addubitabit, alioquin magni & amplissimi cives Romani nunquam aut sacerdotia cumulare statuissent, aut pro ipsis sacerdotijs tantopere contendissent. Stipes secunda proventus sacerdotiorum pars dicta erat, quod nostri oblationes eleemosynasque appellant, de hisque Cic. leg. 1. præter Ideæ matris familias easq; justis diebus, ne quis stipem cogito: quod autem Cicero familias dicit, aliud à prædictis tribus generibus, pontificum, flaminum & sacerdotum singulorum dei alicujus cultui dedicatorum, genus indicat, quod procedente tempore multiplicatum est. multi enim vtriusque sexus in eandem familiam ad alicujus dei cultum convenientes, ex vnis eisdemque sacerdotijs ac stipum & Legatorum redditibus convivebant: varijsque vocabulis & nominibus censebantur. Cicer. pro Aul. Cluent. Habit. Martiales quidam appellabantur Latini ministri publici Martis: atque ei deo veteribus institutis, religionibusque Latinorum consecrati: quorum cum satis magnus numerus esset, cumque item in Sicilia permulti Venerei sint, Helius Spartianus scribit, Adriano Imperatore in numerum deorum relato flamines & sodales, senatum instituisse. & Sueton. de Galba, ob res in Africa gestas, & in Germania, ornamenta triumphalia

phalia accepit,& sacerdotium triplex, inter xv. viros Sodales,in Augustales cooptatus. Helius Spartianus,clypeum Hadriano magnificentissimum posuit,& sacerdotes instituit: puellas alimentarias in honorem Faustinæ Faustinianas constituit. meruit flamines & Circenses. templum & Sodales Antonianos Faustinæ vxori,in radicibus Tauri montis notas puellas Faustinianas instituit.dati sodales & satellites,& flamines ipsi mortuo. Sodales autem fuerunt,quales nostri appellant Societates secularium: Satellites, quales multos per orbem habemus, sanctæ Mariæ Teutonicorum in Germania,& S. Iacobi de Spata in Hispania. & infra Cicero, Stipem sustulimus,nisi eam,quam apud paucos dies propriam Ideæ matris excipimus: implet enim animos superstitione,& exhaurit domos:vnde constat,priusquam ea lex ferretur, consuevisse omnes, qui sacerdotia haberent, illa quæstu per stipem petitam facto pinguiora reddere. Tertia sacerdotiorum opulentia à solutionibus proveniebat,quas inferiora impetraturi superioribus impendebant, quale apud nos est, cum Pontifici Romano fructus primos, antistites,& his minores ac subditi sacerdotes pro habitorum modo beneficiorum pecuniam dissolvunt. Sueton. enim de Claudio Imper. sic dicit,eum sestertium octogies pro introitu novi sacerdotij impendere coactum. Quarta jam pars ad sacerdotiorum exuberantiam, proventuum donationes & legata fuêre: nam viventes,vt deos haberent propitios,multa sacerdotibus largiebantur,felicitati autem,vt appellabant,animarum consulturi:ac si multa alia testamẽto legabant,epulum raro,aut ferè nunquàm præter-mittebant: quod qua ratione fieret, in multis quæ

per Italiam extãt marmoreis ſepulchris apparet. Rauennæ enim apud ſacram Apoſtoli Petri ædem, quæ Seraphici Franciſci vocabulo & fratrum ejus ordinis habitatione notior eſt, marmoreo in ſepulchro à Claſſenſi oppido tribus diſtantis paſſuum milibus pridem avecto, hæc legati eſt in epulum inſcriptio. Dijs Manibus Flaviæ Quinti filiæ ſalutari conjugi chariſſimæ, Lucius Publicius Italicus decurio, ornamentum ſibi vivens poſuit, hic collegio Fabrûm militiæ Ravennatis in æde Neptuni, quam ipſe extruxit die Neptunaliorum præſentibus, ſportulæ numi bini viderentur, & decurionibus viginti octo centeni quinquaginta quotannis darentur, vt ex ea ſumma ſicuti ſoliti ſunt, aream Publicorum Flaviani & Italici filiorum, & aream in qua poſita eſt Flavia ſalutaris vxor ejus roſis exornent, de numis xxv. ſacrificentque de xxii. & de reliquis ibi epulentur. ob quam liberalitatem, collegium fabrûm militiæ Rauennatis inter bene meritos quotannis roſas ſuprà ſe & Flaviam ſalutarem vxorem ejus mittendas ex xxv. ſacrificiumque faciendum de xxii. per Magiſtratus decrevit: & alia ſepulchra hujuſmodi, vnde quod à pluribus factum eſſe conſtat, omnes tenemus teſtamento legaſſe epulum quotannis ad ſepulchrum roſis & varijs reſperſum odoribus pro hæreditatum facultatibus exhibendum: cui quidem epulo non magis cognatos affineſq;, quam magiſtratuum quos geſſerant, opificiorumque quæ exercuerant collegia, vt legionis in qua militaſſent ordinum ductores & commilitones intereſſe jubebant: idque etſi ſacerdotibus pro divina re faciendâ convocatis & commodo & delectationi multis cedebat modis, majorem brevi poſt offerebat vtilitatem. cum enim

contia.

contin-eret aut hærede absque legitimis succesſo-ribus defuncto, aut vetuſtate ipſa epulum abſoleri, in oblivionemq; deduci, hæreditatis portio pecuniã legato ſubminiſtrare ſolita per Septẽvirum diligen-tiam redigebatur in pontificum collegij poteſtatem: ex hiſq; ſacerdotia, quæ à noſtris appellari diximus beneficia, collegio pontificum diſtribuente fomenta novaſq; inſtitutiones habuerunt. Septemviri autem epularum apud priſcos haud ſecus quam noſtræ re-ligionis epiſcopi legatorum ad pias cauſſas exequu-tionis curam habebant, cum tamen omnia templa præſertim majora, ſuos particulares epulones habu-erint, ſicut de Iovis templo ſupra oſtendimus: eund ẽ vero morem epulandi in ſacris locis ad legatorum executionem fuiſſe etiã à Chriſtianis per multa tem-pora ſervatum Auguſt. in civit. dei, his verbis oſten-dit: quæcunq; igitur adhibentur religioſorum obſo-nia in mortuorum locis, ornamenta ſunt ad memo-riam, non ſacra vel ſacrificia mortuorum tanquam deorum; quicunq; epulas ſuas eo deferũt (quod qui-dem a Chriſtianis melioribus non fit, & in pleriſq; terrarum nullatenus eſt conſuetudo) cum appoſue-rint, orant. Quinta ſacerdotiorum opulentiæ pars, fuerunt damnatorum, & vi, aut jure patria pulſo-rum bona, quæ ipſis in primam aliquando reverſis, aut populus, aut magiſtratus nunquam poſſe reſti-tui cupiebant. Legatorum ſacerdotiorum ſive be-neficiorum ex ordine apparet, priſcos gentiles ſo-licitatem beatudinemq;, vt appellabant, animarum in campis elyſijs ducendã, per temporalium hono-rum a legato poſt mortẽ dandorum diligentius, quã noſtros per dei contemplationem æternã quæſiviſſe hæc Blond. lib. 2. Triumph. Romæ. vide hic curam

pro mortuis,& sepulchrale epulum,quod pluris constat adhuc in Anglia quam filiæ sæpius id in elocatione. item prandium quod aliquoties pauperibus in templo ad funus solet exhiberc, seu verius sportula. hic habes sacerdotiorum nostrorũ omnes vnde sint proventus, & proscriptorum bona fisco ecclesiastico adjudicata,ac de Raymundo inter alios comite Tolosano historia narrat. & nundinationes Purgatorij,& eleemosynas in animarum defunctorum commodum erogatas,& possessiones,prædia, & alia. en data stipe, post mortem, vt preces & anniversaria & sacrificia fiant Missæ,quo mitiorem conditionem habeant animæ, deniq; bonorum operum finem apud pontificios, vt scilicet melius habeant in Pyriphlegetonte animæ celeriusque evadant. Annatas seu vectigal prædiorum sacerdotalium parandi auxilij fuco adversus infideles Vrbanus 6. instituit. Szeg. in Spec.

Sacra qui circumferebant quæstus gratia vates & sacrificulos,suis oppidis exegere Massilienses,ne religionis prætextu otium sectarentur, & luxum. Alex.ab Alex. lib. 3. cap. 13. ex Valer. Max. lib. 2. cap. 1. Entibi sacrificulos papatus, & eorum affectas circumferentes imagines, reliquias mortuorũ,pontificum bullas,& quo numero nos eos habere debemus

Sacrarium seu ἄδυτον, locus arcanus in templis est,quem temere subire nefas erat, nam ex eo reddebantur oracula, ab ἀ & δύω subeo, quasi non subeundum, ἀποκρυφος τοπος, ἐνδοτατος ασυλος & Papæ est in fanis sacrarium, vbi arcana habentur consilia quæ oracula respondent, & pretiosa omnia reponuntur.

Sacri-

Sacrificia apud Græcos pro mortuis erant, alia à tempore, vt τριτα, ενατα, τριακαδες, alia nomen à re significata sumebant, vt χοαὶ, ἀρχεια. alia à sepulchris, vt ταφια, alia à mortuis, vt νεκυσια. κτιστα. Pollux lib. 8. cap. vlt. Cæl. Rhod. lib. 17. cap. 21. Æschin. contra Ctesiphont, Demosth. adversus Macartatum. hujusmodi habet Papa.

Sacrificijs & prece, venia & quies animabus omnibus in Purgatorio detentis paratur, exemplo veterum, qui majora & certiora habuerunt Februa per duodecim dies continuos Februarij celebrata, vnde mensem illum nomen inde nactum fuisse multi existimaverunt: hisque diebus cum pro impetranda mortuorum animabus quiete omnis populus piaculis sacrificijsque circa sepulchra accensis facibus cereisque esset intentus, interdictum erat virginum viduarumque matrimonijs, & vestem induti aeram, omnes consuetum domi dimittebant ornatū Blond. lib. 2. Triumph. Romæ.

Sacrista, Sacrarius, seu hierophylax Papæ, est idem qui erat priscis ædituus, seu tutelarius, cui res sacræ erant curæ.

Sale interjecto ex dei præscripto Helisæus tollit amaritudinē aquarum Hiericonis: Papatus hunc consecrat, vt profit sanitati corporis & animarum saluti, & ad debellandos fugandosque dæmonas. Wierus medicus. lib. 4. cap. 18. de Impost. dæmon. & sal consecratum, quod infanti in os imponitur ex ritu Levitico est. Levit. 2. dist. 4. de Consan. c. sal. Szeg. in Spec.

Salem, lumen & aquam quæ publicis commodis seruiunt, & ad varios vsus sunt accommoda, divinis honoribus

honoribus dignãtur veteres, ſicut & anni tempora. Plutarch. dec. 5. Probl. 9. Symp. & hæc tria pro diuinis conſecrãt Papiſtæ, lumen quod illuminat cæcas imagines, & cœcutientem Miſſam, titubantes ſupplicationes, larvatos Begghardinos, & id genus. aquam, quæ conjurata & exorciſata in fugam vertat diabolos, ſiſtat rapidos fluvios ne mergant, diſcutiat fulmina, perjuria ſanet, peccata venialia eluat, domoſque, lectos, & vtenſilia mundet, denique ſepulchris inſperſa proſit animabus.

Salem abhorrere conſtat diabolum, & ratione optima nititur, quia Sal æternitatis eſt & immortalitatis ſignum, neque putredine neque corruptione infeſtatur vnquam, ſed ipſe ab his omnia vendicat. diabolus vero nihil procurat aliud quam rerum creatarum corruptionem & diſſolutionem, vt generationem deus. quamobrem ſalem menſæ loci ſancti, omnibus vniverſè ſacrificijs apponi lex dei imperat: quod mandatum ab Hebræis Plato videtur accepiſſe, cum ſalem à dijs affirmat diligi. Bodinus lib. 2. dæmonomaniæ, cap. 2. hinc ſal baptiſmo papatus additur. & ex Numæ inſtitutione ſine ſale nullum ſacrificium ratum fieri cenſuit. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 12.

Saliua, qua tanguntur nares & aures pueri in Baptiſmo, ex praua imitatione facti Chriſti: eſt. Mar. 8. Quod Papani ad Baptiſmum ineptè tranſtulerunt. Lege de Conſ. diſt. 4. can. poſteà tangantur. Szeg. in Spec. Sarectus, Sal, ſignare crucibus, Rabani eſt inuentum hæretici, quem nunc Pontificij imitantur. Pinetus de conform. eccleſ. teſtit. cum primitiva cap. 13. Screatus fieri permiſſum à Nicolao 1. Szeg. in Spec. Et faſcinationes ſaliua jejuna repel-

li,

li, veteri superstitione creditum est. Alex. ab Alex. lib 5. cap. 17. Vt igitur ab aqua exorcisata malum omen avertant, & fortè salluam immiscent.

Saltare circum aras ad numerum in sacrificijs solebant veteres, & apud Indos nulla fuit numinis consalutatio, vel sacrificium, nisi adhibita saltatio foret. In Delo quoque absque saltatione, vel musica sacrum nullum fiebat. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. Hinc puto est quod Papatus Vitum, fortè invitum, furiose saltantium agere cogant choragum. Bulling. orig. cap. 34. Vide S. Viti morbus, in V.

Salutationes, quæ per Dominus nobiscum, septies in Missa fiunt, à Clemente & Anacleto ex libro Ruth desumptæ sunt. Sozom. in Spec.

Sartoribus nemo Deorum veterum præest, quem legere contigit, nisi sit Mercurius fur, cum ipsi sint furacissimi. Bulling. cap. 34. Orig. ex Papæ decreto concedit illis, cum sint plerunque belli homunculi, dignum suis moribus Deum, Gutmannum nescio quem. Sed barbarum nomen cogit fateri civiliores esse Scotos, qui Annam matrem Virginis Mariæ coluerunt, quæ ac dicunt tunicam Christi texuit, & ideo merito illis dea est.

Saxa ruere ex alto dæmonas in homines ait Psellus lib. de operat. dæmon. cap. 23. sed quæ nullum lædant, ratio est, qua nulla vi præcipitantur, vis enim dæmonum perpusilla terret potius quam lædit. Sed rationi respondeo, sit debilis dæmonum impulsio, tamen magni ponderis lapis grauitate sua, etsi non impellatur, duriter premit: alteri parti assentimur. I. enim Chalmerus Aberdonanus, anno 1580 narrat mihi se vidisse in templo Hispaniæ, frequenti populo & inter Missandum è cameratione fani præcipitatum

cipitatum ingens saxum, & inter densissimos cunos, sed læsisse nullum, & continuo populus venerabundus miraculum clamat, Missæque sanctitati acceptam refert salutem: & meus hic testis qui Papæ gnaviter studebat objicit Orthodoxæ nostræ professioni hoc miraculi: sed si Psellus illo longè doctior, & majoris famæ, quam quivis è plebe sacrificulus Hispanus, verum dicit, qui etiam Papista fuit, ego causa vinco, Diabolique præstigijs, & fortè instigantibus sacrificulis, non Dei nutu effectum esse vt ruens lapis populo caueret: Si enim potest impellere Diabolus lapidem, & impulsum subjecta opera relevare potest ne lædat, adjuvante aeris crassitie, quem fortè in eum vsum condensauerit.

Scorta Christianorum pro Venere & Flora gentilium, Aphram & Magdalenam inuenerunt, has invocant, his vota nuncupant, his immolant nescio quid, atq; ita satis esse putant, si istas sic colant perpetuò, etiamsi à peccatis nunquam conuertantur. Bulling. cap. 34. lib. orig. erro.

Semiplotia, calciamenti genus Romanis in venatu vsitatum, superiorem pedis partem nō ambit, vt nunc Cordigerorum fenestratæ soleæ, & eæ Capucinorum.

Sepulchra funeralibus expletis quandoque floribus odoramentisque fuisse sparsa legimus. Plin. in hist. Nat. Cic. orat. pro Lucio Plancio. Virg. 6. Æneid Idemque mos cum in plerisque regionibus Italiæ, tum maximè in subjectis Apennino collibus, Romā. diolæ alicubi ætate nostra servatur. Adhibita sunt post funeralia in templis ornamenta, clypei, coronæ, & hujusmodi donaria, quod nostra quoque ætas in nobilibus & honoratis viris servat. Blond. lib.

3.

2.triumph.Romæ.Sepulchrum floribus ornare,& ſacrificio atque epulo defunctis parentare ſolent Romani. Lauaret de ſpectr.Et non eſt in Cœmeterijs ſepulchrum alicubi, imò penè nullibi, præcipuè rurſi apud Papanos, quod non habeat ſuam ſalviam cit cumereſcentem, fortè pro apio veterum. Apium enim funeralis herba eſt, exque apij corona defunctorum tumulos ornari, atque in ludis funebribus apio coronari, victores proditum eſt. Cic. ad Cælū, Et græco proverbio eſt vſurpatum, vt in mala valetudine & rebus acciſis ac deploratis, apio opus eſſe dicant.Alex.ab Alex. lib.2.cap.7. Notandumque & illud, in Deorum Manium ſacris & feralibus cœnis, præter lentes & offas, apium apponi, quibus quiſacris intererant, veſcebantur. Idem lib.5.cap.26.

Sepulturæ dum mandantur corpora, Athenienſes ortum verſus, Megarenſes & Phœnices ad occidentem vertere ſolebant. Alex.ab Alex. lib.3. cap.2. An hinc eſt quod in Cœmeterijs pontificijs, boni, quos putant, ad auſtrum & oriens, reliqui qui aut ſupplicio affecti, aut ſibi vim feciſſent,& id genus ad Septentrionem ſepeliantur, vt frequens olim Scotis fuit mos. A Græcis vero vſurpatum fuit,vt veſte alba cadauer, coroniſque ornarent,& Pæana canentes ſepulchro inferrent.Idem lib.3.cap 7.Syndonem album retinemus, inſpargit flores,& aliquando apponit coronas , & canit ſurdis defunctis. Et quòd noctu ſepulturæ fierent, ideo ardentes faces adhibebant, lectuloque plerique flores & coronas injiciunt. Ibidem. Alex. Papa vt flores & faces retinet, ſed quas illi ad noctis tenebras pellendas habebãt, bant iſte ad Soli lumen dandum præbet,& arma ſuperſtitioni.

Ser-

Sermone incognito in sacris vti vetus mos fuit. Magorum enim & Persarum in more fuit, primo semper diluculo canere dijs, dareq; hymnos & laudes, orienteinque Solem venerari, meditato & solenni precationis carmine verbis priscis, ex annalium vetustate erutis, numina & deos precatus, vota effundebat Sacerdos, quam precationem plerunque ter geminabat. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. Lege & supra in L. Habes hic Papatus Oriens. Lege O. Priscum idioma, quod mutare cum intelligibili non licuit, atque in Papatu latinum non intellectum cũ vulgari quod intelligitur, commutare à temporibus Caroli Magni (quo tempore primo decretum est vt latino sermone omnia peragerentur sacra) hucusque semper piaculum fuit habitum, aut verba longius petita, Hebraica, Chaldaica, Æthiopica, ex Breviario expellere. Tertium est etiam notatu dignum, de precum reiteratione. Hinc puto Petrus Eremita Gallus Ambianensis sub Vrbano Pp. Anno MXC. modulum orandi per rotulos ligneos, quos vulgus modo precula, modo Pater nostros appellat invenit, & repetitis sæpius Aue Maria, & Confiteor &c. venia peccatorum mererentur orãtes, & eo evasit res vt diceret, quicunq; dixerit tot Pater noster, cum totidem Ave, & vno vel pluribus Credo, coram hujus vel illius dei imagine singulis diebus statis vel interciſis, habebit indulgentiarum milia, vel centena milia annorum, &c. iste Eremita satius efferatus est oratione licet perfunctoria deum placatum iri: sed cum non quam multæ, sed quanta cum fide preces fiant καρδιογνωστι; ille spectare soleat: omnibus in vniversum in omni vita cum Christo semper orandum erit, ita quidẽ vt preces ponderentur non

numerentur: Athenodorusque philosophus multum eos damnari debere aiebat, qui longis orationibus deum fatigarent. de Sermone incognito, lege, lingua non intellecta. de reiteratione precum, lege Geminare & repetere verba.

Servatoris Iovis ara Ithacensibus fuit, & in Lybia vrbs Dulopolis id juris habet, vt qui servus ad eam aufugisset, omni nexu solveretur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20. & lib. 5. cap. 27. ait, obsservatumque, vt quoties obsecrationes, supplicationesque aut lectisternia indicebantur, a jurgijs & litibus temperarent, vinctisque vincula demerent. At longe diligentiorem captivis, & ad vincula abjectis præponit Buling. cap. 34. Orig. deum Leonhardum, qui cultoribus suis compedes rumpere creditur.

Servum se seruorum Dei Greg. Mag. Pp. ad affectati principatus suspitionem atque invidiam apud homines evitandam appellare instituit. Sigon. lib. 1. Regni Italici, ac ne dictu illi quam factu facilius fuisse putes, advenienti Ioanni abbati assurrexit, & prior honoris gratia in terram provolutus est pontifex quam abbas. Cæteri deinde maximi pontifices nomenclaturæ istius titulum omnes vsurpatunt, opus rati omnes se servos servorum dei dici, pauci esse, voluerunt, igitur Gregorij humilitatem approbasse videntur etiam ipsi, qui imitari neglexerunt. Matull. lib. 1. cap. 5. Et servum se servorum Greg. 1. scripsit, intentione quidem ea, ne quis se vniversalem episcopum vocaret: neque tamen absque mysterio ipsius papatus, id genus enim tituli in sacris maledictionis nota est. Gen. 9. Szeged. in Specul.

Servis anni initio apud Romanos, cœnas apponebant

nebant, & festum diem agebant quare matronalia dicta, muneraque viri mulieribus mittebant, vt in Saturnalibus viris mulieres. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 24. & in papatu est anni tempus in quo vidi Vasconiæ, sed certum tempus me modo fugit, magistras servis hanc exhibere operam. & vere ad Valentini festum à viris habent fœminæ munera, & alio tempore viris dantur. in Scotia autem ad Valentini reciprocæ fuêre dationes.

Servus eligitur, qui potestatem in dominos habeat per dominica natalitia more Rom. veteri, vt in Iustini epitome est. vide R.

Servus sacrificij. 1. Sam. 2. carnis bullientis præter legem furca partem extrahit in vsus domini sui: hoc facitant Mombrisonis monachi in conventu Savignienst qui dicitur Trinitatis, at tenetur monachus carnem è bulliente lebete nudatis manu & brachio impositis extrahere. Epitome signor. sacror. gallice excussa Lugduni 1562.

Sicinnium, genus saltationis seu choreæ vbi saltitantes cantabant, ac Papistæ facere sunt soliti in Scotia ad natalitia Domini, & alibi adhuc seruant.

Signa militaria erant varijs gentibus varia, Ægyptij animalia quæ colunt, effictis tabellis, pro bellico insigni habuere. Germani, effigies lucis detractas præire jubent. Insubres si quando præcipua bella sumpturi erant, aurea signa quæ immobilia vocant, è templo Minervæ efferentes, præferunt phalangi. Porus Indorum rex, Herculis simulachrum habebat. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 2. & Boem. Aub. lib. 3. cap. 1 & de gent. morib. & papatus totus, quod aliqua ex parte in moribus reformatorum adhuc est divorum imagines in vexillis habent, alij cruces hu-

jus

jus vel illius, alij detrahunt ſtatuas templis & præferunt, vt annales Scotici referunt in nobili conflictu Roberti Bruſij Scotorum contra Edvardum Anglorum ad Bannocburne.

Silentium magna in veneratione habere dicti ſunt Pythagorei, ab his Carthuſiani ſuum derivant, ſed & his religio eſt hoſpites intromiſſos verbo reſalutare.

Silentium Miſſæ hinc eſt, fertur, ait Durandus lib. Rational. ſui. 4. quod cum antiquitus publice & alta voce Canon diceretur, omnes pene per vſum illum ſciebant, & in plateis & in vicis decantabant, vnde cum quidam Paſtores illum in agro cantarent, & panem ſub lapidem poſuiſſent, ad verborum ipſorum prolationem panis in carnem converſus eſt, ipſi tamen divino judicio cœlitus miſſo percuſſi ſũt, propter quod ſancti patres ſtatuerunt verba iſta ſub ſilentio dici, inhibentes ſub anathemate ne proferantur niſi à ſacerdotibus ſuper altare, & in Miſſa, & cum veſtibus ſacris. hæc ille. Sed quæ delria? non enim debet Canon totus, ſed quatuor verba, hoc eſt corpus meum. tranſubſtantiare, nec in carnem quãlibet. ſed integrum Chriſtum, deum & hominem & vivum: vt ſimili nos ſcommate delinire putes eos qui ſcribunt de quodam Papa, qui cum mulierecula quæ coqueret panẽ ad vſum altaris, non crederet poſſe ſuum panem abire in Chriſtum, ille poſtridie ſacra facturus advocat mulierem, & verbis de more rectatis oſtendit panem converſum in digitum humanum adhuc vitæ participem, & cruore madentem. non enim convenit vt digitus Chriſti fiat, ſed totus Chriſtus. & ſi ad repetitionem horum verborum ſemper abiret panis in carnem aut digitos, quoties

nos hujſmodi haberemus.

Simpulum, calix erat fictilis quo vinum in ſacrificijs libabatur. Plin. hiſt. nat. lib. 15. cap. 12. Apuleius ait, paupertas populo Romano imperium à principio fundavit, proque eo in hodiernum dijs immortalibus ſimpulo & Catino fictili ſacrificat. eodem modo ad rerum faſtigium evaſit papatus, & qui primis annis ſimpulo litavit, mox vitreis, tandem argenteis & aureis libat. Zepherinus vitreos calices pro ligneis ordinavit. Vrbanus ſtatuit, ne vaſa ſacra vitrea, ſed aut aurea aut argentea eſſent. lege de Conſ. diſt. 1. can. vaſa.

Somniandi modus (eiſdem penè ceremonijs peractus) Franciſcanorum hinc ducit originem. antiqui moris fuit oracula & futurorum præſcientiam quibuſdam adhibitis ſacris per inſomnia dari: qui mos talis erat, vt victimas cæderent, mox ſacrificio peracto ſub pellibus cæſarum ovium incubantes, ſomnia captarent, eaque lymphatica inſomnia veriſſimos exitus ſortiti. Alex. ab Alex. lib 3. cap. 16. & monachi ſuper ſtorea cubant in qua alius frater ecſtaticus fuerat ſomniatus, ſcarificat Miſſam, preces & jejunia adhibet, inde, vt communiter fit, de amoribus per ſomnia conſulit, redditque reſponſa pro occurrentibus ſpectris vt antea legiſti, & multis docet Cæl. Curio in dial. ecſtat.

Sophronia Romana Matrona inter divas relata eſt à pontificibus noſtris quia à Maxentio per vim oblato ſtupro, cum ſuum corpus ab ea labe aliter tueri non poſſet, ſibi manum intulit, prorſus ad exemplum veteris Lucretiæ, quæ ob ſimile flagitium immortales laudes inter ſuos meruit.

Sortem primam, ait Heſychius, in ducendis ſortibus

tibus veteres ſolere Mercurium dicere. Eraſm. in Adag. & qui in papatu ad Epiphaniæ, regem eligunt, in luſtrici primis fractione, & ſortitione, prima pars aut Virgini Mariæ, aut alteri ſanctorum ſacra eſt, quam ſeponunt.

Spicæ offeruntur in templo, & primitiæ vitium, nam veteribus Sacrimum erat muſtum quo Libero Patri ſacrificabant pro vineis & vaſis, & ipſo vino conſervandis: ſicut Prætmetium de ſpicis primis fiebat oblatio Cereri. Iudæi manipulum ſpicarum ferunt ad Sacerdotem, is levabat coram Domino, vt acceptabile eſſet, Levit. 23. & ſpiceas papatus coronas, quas videre eſt in domibus, & ſæpius circa aras pendere, habet Tibull. lib. 1. Eleg. 1.

Flaua Ceres, tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Spolijs hoſtilibus tanquam trophæis non ſolum privatas domos, ſed & porticus, & deorum templa exornare vetuſti moris erat. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 24. idem Papa habet.

Spuunt ſeu deſpuunt veteres, ſi quid audiant execrandum quod ſibi nolint evenire, ſibi perſuadentes hoc eſſe remedium adverſus imminentia mala, præcipuè adverſus comitialem morbum, vbi in admovendis remedijs ter expuere habebatur ſalutare, veluti etiam adverſus incantationes, vt refert. Plin. ſimili ſuperſtitione contra improbæ ſpei faſcinum ter in ſinum exſpuebant. Plaut. in Amphyt. an forte Papa baptiſterij in aquam inſpuit his de cauſſis. vide Saliva.

Statæ matris ſimulachrum, erat imago quam Pop. Rom. erexit in omni vico: ſucceſſores ca-

pit Mariæ Virginis, & aliorum divorum divarumq; angiportuum januarumque custodes.

Statilinus erat deus cujusque privatus, qui semper suum hominem est dictus comitari: sic Papa cuique adglutinat suum angelum, & quisque sibi patronum ex defunctis unum eligit, cujus sit cliens, & cui vota ferat.

Stipem concionatori colligere solet in papatu novitius aliquis, aut ædituus à populo qui concionis interest. sic ethnici το τριβολον, vt Lucianus dicit iis dabant qui concioni interfuissent, quod ille εκκλησιαστικα χρηματα, και το εκκλησιαστικον appellavit: sed quod debuit populo dari, ab eo exigit papa.

Stipem spargunt Papæ ineuntes pontificatum, ad morem veterum Romanorum. Polyd. lib. 5. cap. 2. Invent.

Stola Persarum vestis erat. Alex. ab Alex. lib. 5. cap 18. nunc autem Papæ est. Stola & epitogium ex Levitica ceremonia est. Levit. 8. & ib. Szeg. in Spec. & stola linea amicti sunt Isiaci pontifices, capite raso. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8.

Strenæ usus primo die anni, Romanorum veterum est inventum. Suetonius in Augusto.

Strophium, quod græce Ophium dicitur. Cic. de Arusp. respons. pro insigni positum fuisse dicit, quod ponebatur in capitibus Sacerdotum, & alij coronam fuisse dixerunt, quod ornamentum nostri Ioanni Baptistæ in hymno attribuũt vespertino Blond. Triumph. Romæ lib. 1.

Strufectarij erant gentium illi, qui panem deferebant ad templum in oblationem. & nostri lustrandum panificium similiter cum pompa deferunt ad

ecclesiam

templum in oblationem, quod quæque opificum collegia ſuis vicibus miniſtrant, vt fieri vidi Lugduni Galliarum.

Strupearia Faliſcorum feſti erant dies, in quibus populus ornat ſe ſertis: ita fit in papatu menſe Maio.

Struppi erant faſciculi ex verbenis qui imponebantur capitibus numinum juxta aras aſtantium. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27. & papatus ſua numina ſimilibus corollis frõdeis & herbaceis ornat aris aſtãtia.

Subfibulum, ornamentum capitis album, quadratum & oblongum quo in ſacrificijs vſæ ſunt Veſtales, & illi plane reſpondet noſtrarum monacharum Calantica.

Sues S. Antonij ſunt ſacri, & illi dicatis liberum eſt propter inſitam religionem etiam tempore periculoſo, & alijs aut occiſis aut ejectis animantibus ſine cuſtode per vrbes vagari, exemplo ducto, ſi quid puto, ab eo Hyppocratis, ἀφετου χοιρας, quo nomine vocavit Athenienſes, quaſi animalia ſacra, quæ in deorum tantum tutela erãt, & ſine Paſtore.

Sumanalia, panis erat ad formam rotæ factus: hoc vtuntur papani in nuptijs, & vbi gravidæ à partu ingredi templum permittuntur, in oblationem cedit: etiam vidi panem luſtricum ſeu benedictum, vt vocant, hac forma fieri.

Summœnianæ vxores, ſcorta erant quæ vxorum loco habebantur. ſervat morem papatus. & præter alios, in quibuſdam Hiſpaniæ locis ſuam quiſque vicarius habere tenetur, ne alienis vitium offerat. & Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 18. ait, alter vero Ceramicus intra vrbem locus erat Athenis, diverſorium ſcortorum, cui nomen Caſaluio, ſicut Græcis Celoſta, & Romæ Summœnium, vbi proſtabant meretri-

culæ, quæ pluribus notatæ nominibus fuere : nam & Sphinctæ, Casalvades, Lecastriæ, Casorides & Casoritæ dictæ: apud latinos Lupæ. adhuc Romæ viget Summœnium ex institutione Sixti. 4. Szeg. in Spec.

T

TAbellas in templo affigimus, quibus miracula inscripta sunt, vt ea ad posteros testatiora sint, ex Græcis docti, apud quos teste Strabone lib. Geog. 8. mos fuit in templo ejus dei qui auxiliatus esset, & præsertim Æsculapij, quod Epidauri erat insigne, tabellas appendere, in quibus morbi sanati erãt inscripti. Polyd. lib. 5. cap. 1. Invent. Tibull. lib. 1. Eleg. 3.

Nunc dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Et in Campania Franciæ, vt innumeros alios locos sileam, mirum quot baculos, & id genus alia, habeat Scotus noster S. Fiacrius, testes regiæ suæ stirpis vt planè dicas esse novum Æsculapium.

Tædis ara illuminatur à Numa. Ovid lib. 4. fast. & Papa suas irradiat facibus.

Talmudicarum fabulosarum constitutionum transgressoribus majores pœnas constituerunt Talmudistæ, quam illis qui contra legem Mosis delinquerent quoquo modo. Michael Neander in Erotematis linguæ Sanctæ. hinc est quod dicitur C. de leg. & Concil. lib. 1. Papa est supra jus in hoc quod ipse potest solus æquitatem non scriptam ex sui interpretatione præferre juri scripto: & quod Papa contra Apostolum dispensat. dist. 34. can. lect. in glos. dist. 82. can. presbiter, &c. cum ꝛpius contra sua semel decreta non dispensat, sed severiùs exigat, quam ea dei: nam ova aut carnes die Veneris

aut

aut per Quadrageſimam guſtare ſcelus eſt habitum: at interea ſcortari, &c. veniam habet facilem.

Tempeſtates vehementiori itrepitu, & maleolentium graminum fumo diſſolvi & ſedari aëriorum dæmoniorum inſultum, creditum eſt: idcirco (ait Gaudentius merula lib. 1. cap. 5. memorabil.) tanquam ex Academicorum officina fluxerint, etiam nunc Italiæ mulieres tempeſtatibus imminentibus, diri odoris pabula ſub dio comburunt. Thraces tempeſtate imminente armati cum ſtrictis enſibus & crotalis, horribilique clamore in nubes fremebant, vt nunc ſunt qui campani æris ſonitu hoc ipſum tentent: ſicut Gothi, teſte Olao lib. 3. cap 2. de gent. Septent. inuſitati ponderis malleos, quos loviales vocabant, ad eum vſum habebant, vt per eos, tanquam per Claudiana tonitrua, cœli fragores, quos malleis cieri credebant, exprimerent. Lege Campanarum.

Tempeſtatũ, Iuppiter olim fecerat Æolum, nymborumque potentem: at nunc id muneris traditum putatur Valeſiano cuidam Theodulo, qui in hoc & colitur & invocatur vt grandinem à ſegetibus avertat, furentes ventos ſopiat, & nocivas tempeſtates diſſolvat & diſpellat, alij hoc officij tribuunt Ioanni & Paulo. Buling. cap. 34. Orig. Tempeſtates procudit Chriſtophorus, ac olim Æolus Virgilianus. Cæl. Curio, paſq. eccſtat. pag. 105.

Templa Sanctis extruere ab Ethnicis ſumptum: nam primi omnium Ægyptij (authore Herod. lib. 2. & Strab. lib. 17.) dijs & aras & ſimulachra, & delubra ſtatuerunt, ſacrificiaque curarunt. Szeg. in Spec.

Templis gentilium præerant pontifices, flaminés Salij ſacrorum miniſtri, &c. apud Papam, Canonici,

Saçellani, Monachi, Lolharti, æditui, clerici. Buling. cap. 45. Orig. Sunt præterea cantores & succentores, & choraules, qui divos compositis ad hoc cantilenis collaudant & invocant, non secus atque Salij in sacris suis Herculem, vt est apud Maronem. & apud Gentes vt varia erant sacrificia pro ratione deorum, ita sunt peculiares Missæ de tempore, vt vocant, & Sanctis. denique vt Belum Nabuchodonozoris sacrorum ministri, omnibus instrumentis musicis, ac docet Daniel, demulcebant, ac prædicabant, ita operosam quandam & theatricã musicam in sacras ædes induximus Christiani, tumultuosum vocum diversarum garritum, qualem non opinor in Græcorum aut Romanorum theatris vnquam auditum fuisse: omnia tibijs, tubis, lituis, fistulis, ac sambucis perstrepunt, cumque his certant hominum voces. Buling. ibid. in Cathedralibus, vt vocant. Angliæ Ecclesijs, omnia hæc adhuc in summo vsu sunt.

Temporum pro diversitate antiquitus variebantur cantus: dithyrambo insolenti & tumido per hyemem vsi sunt Apollinis sacrificuli, cantu omnia, motibus, agitationibus, & clamore resonabant, denique læta omnia. accurrente vere Pæan succedit gravis, modestus & dolori proximus. Plutarch. de significat. dictionis ἐῖ. Ita in Quadragesima non intendunt papani Alleluia, non tinniunt Gloria in excelsis, imagines sub velo lactitant, aræ pullam induunt vestem, vox sacrificulis submissa, cantus surdior, omnia denique mœsta: Hyeme autem videbis instructas in fanis mensas, omnia rutilare auro, vox est intensior, lustrici cum pompa circumferuntur panes, Bacchanalia celebrantur, Missæ de Gaudeamus

mus altero pene quoque die occinuntur, denique omnia lætitiam & ſodalitia perſtrepunt.

Teſca, locus erat myſticis aptus ceremonijs, cujuſmodi habent Franciſcani in modo ſomniandi, & alij ordines ad ſuos ritus peragendos.

Thenſæ, ſupplicationes, pompæ fuerunt his ſimiles, quas nos Letanias proceſſioneſque appellamus. & thenſam eſſe dicit, Cic. vehiculum argenteum quo e cuviæ deorum ludis Circenſibus in circum ad pulvinar vehebantur. & Aſconius Pedianus in Verrem. 2. thenſæ ſunt ſacra vehicula, pompæ ordinum & officiorum. & Scaliger pater, Epidorp. lib. 6. ait, hæc thenſa deis aurea præferēda priſcis. hinc conſtat vnde Papani thenſam circumlatitiū ad corpus Chriſti, vt vocāt, circūgeſtandum mutuati ſunt.

Theologiam veteres excogitarunt quadripartitam, qui Deum patrem omnium atque regem in primis locandum putarunt, deinde aliorum deorum multitudinem, tertio loco dæmones, quarto heroas deputantes. Blond. Triumph. Romæ lib. 1. & papatus vnum colit deum primo loco, ſecundo angelos veneratur, tertio Martyres, quarto Confeſſores. Cabaliſtici autem theologiam ſuam in phyſicam & ſymbolicam dividunt: & Papa ſuam non ſcriptam, in phyſicam quæ diſputat de ſecretioribus legis & Evangelij miſterijs, hanc Scolaſtici acceptam multis facultatibus exquiſitis, & reconditarū nugarum inextricabili colluvie felicissime auxerunt. Symbolicam interpretes Bibliorum penes ſe eſſe voluerunt & allegorijs inde eductis omnes ſcripturæ nervos, quantum in ſe fuerat, debilitarunt.

Thura incendere, & thymiamata ad aras Oſir. & Iſidis Ægyptijs quotidie Plutarch. de Iſid. & Oſiri, morem

morem fuisse dicit. aut ex ritu Levitico mos fluxit, Exod. 20. Thus & cerei ad imagines incenduntur ex Romanorum Ethnicorum ritu. Polyd. lib. 6. cap. vlt. Invent. Virg. 1. Æneid. vbi templum illi, centumque Sabæo Thure calent aræ. Leonis tertij est institutum. Szeg. in Spec. & thure fumigat Sacerdos aras, imagines, hostiam, præcipue in Missis Iano dicatis aut deæ Vestæ, qui thure delectati sunt. Iliacis autem temporibus veteres non thure, sed Cedri & citri fumo deos adolebant. Blond. lib. 1. Triumph. Romæ. in templo Apollinis fumificant lauro sacerdotes. Plutarch. de signif. dictionis ἅ. thura imaginibus adoleri Ethnico ritu Stephanus. 3. præcepit. Szeg. in Spec. Leo Papa, secundum Platinam, mutuatus est hunc errorem à Numa, qui ipsum ad 700. annos præcessit. Livius lib. 3. dec. 3. ad hoc facit quod Latini thus ab antiquo thyo derivarunt, quod sacrificare est. Livius lib. 9. dec. 3. Ovid. lib. 3. fast. dicit veteres Romanos vsos gummi ex pinu, præcipue in Cereris sacrificijs, hinc & ipsa tædifera dicitur. addit & aliam ceremoniam. Plutarch. lib. de Iside & Osiri, sic dicens nostra lingua, Cyphea componunt Ægyptij sacerdotes non temere, sed recitatis interim, dum seplasiarij temperant, scripturis sacris. est autem Cyphis, ait Galen. 8. de compos. medicament. secundū loca, suffitus genus, quod Ægyptij omnium primi invenere, ac in honorem deorum quotidie accendere, ejusq; vapore templa suffumigare consueverunt. En tibi modū exorcisationis, sive vis, conjurationis & cōsecrationis thuris & thuribili papani antequā eo thurificetur fanum, & præsens populus cum imaginibus & reliqua Missæ supellectile.

Tibicines & cytharœdi, qui lyras septicordes tenderent

derent in deorum sacrificijs cum cantu & longis tibijs præcinunt, & ne quid aliud agatur exaudiaturq; moneant. prisca est religione servatũ. Iudæi in sacris non modo tibia, sed tympanis concinunt. Alex ab Alex. lib. 4. cap. 17. omnia habẽt papani. vide Templis.

Tonsuræ apud Græcos erãt quinq; species prima κυπος, cum se tonderẽt. vt largior appareat frons. 2. σκαφιον cum se raderent. 3. προκοττα, quam ap Pellamus hodie ad morem fortunæ, cum frons est capillata, occipitium pressius, antiquitus dicebatur Hectorea, quia Hector ita est solitus habere cæsariẽ. 5. περιτροχαλατη, seu κυδυος dicebatur, id est, mœroris tonsura, & in rotundum est facta, ad instar nunc vertices & capita Monachorum. & ideo eam vocat Euripides in Supplicib. στεφανος, id est, corona. Lege interpretem Aristoph. in Auib. Hesich in Diction. Pollux. Onomast. lib. 2. cap 1. Vltimam tõsuram si quid puto, prohibitam invenio. Leuit. 19. vers. 27. quam tamen monachi nostri amplexati sunt vt & rasuram in barba.

Toral seu toralium antiquo tempore dicebatur florum & herbarum suaueolentium manipulus, seu plures in restim colligati, qui suspendebantur ante thalamorum & cubilium fores. & in Papatu ad S. Ioannis mutuato more suspendunt ad ostia & januas hujusmodi serta & restes, & sæpius ad aras.

Traditiones & constitutiones multas à majoribus per manus acceptas, Pharisæi tradiderunt populo, quæ non sunt scriptæ in Lege Mosaica: & ideo Sadducæi his authoritatem abrogant, dicentes eas tantum oportere seruari, quæ scripto cõtinẽtur atq; hinc magna inter vtrosq; exorta est cõtrouersia Iose. lib. 13. ca. 18. ant. En tibi vnde tradere veritates

vt

vt vocant, non scriptis Papa habuit. Stephan. 5. cō-stitutiones pontificis omnibus necessario esse ob-servandas decreuit. Vrbanus Papa contrarium sen-tit, vt est can. 25. quæst. 1. can. Sunt quidam. Szeg. in Spec.

Transubstātiationum pleni sunt libri Poetarum, & Apulei asinus. Apud Romanenses Greg. 7. & Inno-cent. 3. transubstantiatiōné corporis Christi, otiosi excogitarunt. Gelasius ac Hilarius Papa contra trā substātiationem docuere. Legatur Gelasius contra Eutychem & Nestorium. De dicto Hilarij lege de Consecr. dist. 2. can. Corpus Christi, &c. Szeg. in spec. Concilium est Gelasij contra transubstātiatio-nem: pugnant cum hoc Florent. sub Victore, 11. Tu-ronicum, Vercellense, Rom. Lateran. sub Innocē. 3. ibidem. Szeg. Hæc de transubstantiatione breuiter dicta in præsentiarum sufficiant, justum enim volu-men hac de re cum mihi sit præ manibus, non fuit necesse hic multis hac de re agere, ne brevitati præ senti essemus molesti.

Tunicæ pictæ insigne decreuit Romulus Salijs quos duodecim Marti Gradivo legit, & super tuni-cam æneum pectori tegmen, quali Sacerdotes chri-stiani, sed aureo & argenteo & jaspidibus ornato, pectorali appellato, vtuntur. Blond. triumph. Rom. lib. 1.

Tutanus Deus humanæ custodiæ præfectus. A-lex. ab Alex. lib. 3. cap. 22. ait, qui vero laboribus an-guntur, Tutano vota persolvunt. Infinitos tam he-roas quam angelos habet huic officio destinatos Papa.

V

VAcina Dea cui sacrificabant Agricolæ messe per acta:

acta: Papatus fert domum ſpiceas coronas, quas à tignis ſuſpendit, nunc altaribus ſuorum Tutelarium offerunt, gratias agunt pro collectis frugibus, & otium precantur. Alij ſtramineas ſtatuas circumferunt. Anglos vidi ſpiceam ferre domum in rheda imaginem circum cantantibus promiſcuè viris & fœminis, præcedente tibicine aut tympano.

Vaſa aurea ex Moſe, Exod. 25. & ex falſa perſuaſione qua putant decus Eccleſiæ per hujuſmodi vaſa cumulari, & amplificari, vt eſt de Conc. diſt. 1. cã. Vaſa. Hujus author Vrbanus 1. eſt. antea enim ligneis vaſculis vtebantur, teſte Bonifacio Martyre: poſtea Zepherinus ſtatuit, vt calix vitreus non ligneus eſſet. Vide Concil. Remenſe cap 6. & Triburienſe cap. 9. in eadem diſt. contra hoc inſtitutum legatur Chryſoſt. Homil. 60. de ſumentibus indigne diuina & ſancta myſteria. Szeg. in ſpec. Lege Simpulum.

Velum altaris, cortinas, candelabra, vaſa quibus vtimur, à Iudæis habentur. Polyd. lib. 6. cap. 12. Invent.

Venatorum Dea eſt Diana. In Papatu venatores Euſtachium venerantur Romanum illum civem, de quo non minus prodigioſa fabulatur mendax monachorum colluvies, quam de Vlyſſe olim Græcia mendax. Bulling. cap. 34. orig.

Venditum Sacramentum à Paulo Pomerano ſacrilego eſt cuidã Iudæo nouem groſſis, anno 1510. id quod poſtea ſacrilegi papiſtæ imitati ſunt. Szeg. in Spec.

Veritates non ſcriptas ſic habe. Cabaliſtici Iudæorum non ſcriptas ſcribunt veritates, quas illi dicunt Deum dediſſe Moſi in Monte Sinai, & tantum viva voce expreſſas, quas quiſq; alium & minorem ſimi-

similiter doceret, donec Esdras, aut illius temporis aliquis eas scriberet: & Druydes Scotorum suam ita disciplinam discipulis tradidere: & Pythagoras & Archippus ita suos formant auditores. Et Papa traditiones, vt viditi, patrum, vt dicunt, non scriptas scribit, hoc durior Cabalistis, quod suam non scriptam, scriptæ Dei aliquando præferat. Cabalistæ se jactant posse per artem suam Dei inenarabilia consilia pervestigare & secretiora cœli mysteria, quæ tacent Biblia, aut captum Bibliorum fugiunt. Imo ex artis institutione posse se vaticinari, & quæcunque volunt, jubere Canonicas Scripturas esse. Sic Papa de injustitia potest facere justitiam & æquitatem non scriptam ex sui interpretatione præferre juri scripto, omnium & consiliorum Dei se dicere conscium, papæ est tritum.

Vertigines in altari facere ab Ethnicis est, nam teste Apuleio reorum sacerdotes circum aras inter sacra sese circũagebant, aspergentes sanguine animalis immolati eas, vt nos aqua lustrali. Polyd. lib. 5. ca. 10. inuent. Vertigines in sacris à Numa institutæ sint dexteram ad osculũ ferre, & se in orbem circũagere. Agrip. occult. philos. cap. 16. Pl. lib. 28. nat. hist. Episcopi nostri auersam manum ad osculum offerũt, sacrificantes pro manu patinam populo basiandam concedunt. Inno. 1. pacis oscula derivat. an. 408.

Vestimenta Dei Osiris manu contrectare, & cætera sacris Dei dicata, scelus est: etiam plebs, nisi raro, videre non potest. Plutarch. de Isde & Osiri Et sacras vestes, vtensilia aræ, & id genus alia tangere non licet laicis in Papatu, nec Diuorum omnium nisi duplex majus fuerit, reliquias & thensas videre, & soluta mercede, nunquam autem tangere permitti-

mittitur, per virtrum exoſculari oſſa, & id genus licet aliquando. Et ſignum Iunonis in Veiis niſi certæ gentis Sacerdos attrectare non eſt ſolitus, & more Hetruſco. Plutarch. ibid.

Veſtimenti genus fuit vnum ſacrificantibus, quo ſacerdotes cujuſque ritus, & templi & Dei pariter vtebantur, quale eſt Camiſium linteum album, quo Chriſtiani utuntur ſacerdotes. Blond. lib. 1. triump. Romæ. Et Iſidis ſacerdotes linea veſte vtebantur. Plutarch. de Iſide & Oſiri.

Veſtes ſacerdotales ab Hebræis mutuatus eſt Steph. 1. Polyd. lib. 6. cap. 12. inuent. Vel ab Ægyptijs ex decreto Clementis, idem lib. 4. cap. 7. inuent. Et Rabanus lib. inſtit. 1. cap. 14. & ſequentibus diligenter explicat quomodo hæ Aaronico cultui per omnia reſpondeant. Innocent. aut ẽ, quò fortius patrocinaretur iſti mundo plane muliebri ac ludo puellari, auſus eſt manifeſte pronunciare conſuetudines legales nõ omnes eſſe abolitas, locus extat lib. de ſacram. altar. myſt. 4. c. 4. Et Sacerdos ſolis apud Phænices veſte auro & purpura varia manuleata, ad imos pedes fluxa incedebat, & tãquã ſplẽdoris ſignũ & ampliſſimi honoris prærogatiuam, coronã ex auro gemmiſq; ferebat. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8. Similes ſunt cappæ ſeu pallæ Papæ. Sed Gregor 4. & Clemens 5. in Conſilio Aquiſgranenſi inſtituerunt ne ſacrificuli pretioſis aut coccinei coloris ueſtibus vterentur, neque in digitis gemmas geſtarent, ne Prælati magnam habeant familiam, ne equos, aleas & ſcorta nutriant, ne aurum vel argentũ in calceis crepidis aut baltheis ferrẽt, tãtus eo tẽpore fuit ſacrificulorũ luxus, hoc decretum mutari non debuit. Paulus 2. bireta coccinea Cardinalibus permiſit

item

item vestitum ejusdem coloris, aurum, argentum, equos, mulas, familiam magnam & scorta. Lege libellum qui Hortulus animæ appellatur. Martinum tom. 2. Authores harum institutionum sunt Clemés Stephan. 1. Vigil. Sylvest. Zachar. 1. Martinus, de quo lege de Conse. dist. 1. can. in Sancta Apost. item Vestimenta & dist. 23. can. Sacratus. Szeg. in Spec.

Vestis communiter omnibus proposita Effæris sectarijs ludæorum, communis cibus & potus, & mẽsa, omnis denique vita communis est. Philo. ad similitudinem hanc suos mores effigiarunt Iesuistæ Papatus sectarij.

Vexilla die Paschatis in templis eriguntur more Ethnicorum, qui signa militaria quæ devicto hoste accepissent, in triumphis portabant, & templorum parietibus affigebant. Polyd. lib. 6. cap 12. Invent.

Vigiliæ & nocturna sacra ab Ethnicis sunt, sed quia hæc semper fuêre multorum scelerum causa, hinc Romana severitas, teste Livio, Bacchanalia damnat & Dyagundas Thebanus, teste Cic. de leg. omnia hujusmodi apud Græcos perpetua lege sustulit, quinetiam nostris Christianis nocturnæ religionis cultus ad Martyrum sepulchra, labeculam aliquam infamiæ apud Ethnicos aspergere cœpit Tertulliani tempore, qui de eorum suspicione meminit ad vxorem scribens, quis, ait, ad Convivium Dominicum illud, quod infamant, sine suspicione dimittitur? Polyd. lib. 6. at si Tertullianus nostra, & paulo ante nostram vixisset ætatem, O quæ pro suis labeculis vidisset flagitia. de his Plaut. in Aulul. inquit, Nocturna sacra quibus in æde Cereris pervigilabãt mulieres, qua nocte cum viro concumbere piaculum erat, is, ait, adolescens illius est avunculus qui illam

illam stupravit noctu Cereris vigiliis. & videre contigit anno 1582. Lugduni in vigiliis Natalium Domini deprehensos in stupro duos post Missantis altare hora inter duodecimam & primam noctis, cum præter vnum aut aliud altaris lumen, nullum esset in templo reliquum, quod nos proderet qui novitatis studiosi eo conveneramus aliquot, vbi flectere idolo genu non habuimus necesse, custodientibus nos tenebris ab armatorum & stipatorum qui aderant offensione & scandulo, dum illi duo ad lumen propinquiores ipso facto nobis comprobarunt Plauti testimonium. Et vt vigiliæ in sacris Cereris fiebãt, ita in sacris Isidis excubiæ. & quoniam Eleusinæ Cereris sacra luce obscura fiebant, sacerdotes facibus discurrentes cursu fanatico sacra peragebant. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 9. & Bacchæ mulieres in Dionysij sacris, carnes crudas comedentes sacro furori initiabantur & furentes ac bacchantes viros simul atque fœminas in templis deorum pernoctare cogebant. Blond. Triumph Rom. lib. 1. Habes vigilias, & morem discurrendi cum facibus ad festum Petri in æstate.

Vinalia, festa degustandis vinis instituta XIII. Cal Septemb. Romæ fieri solita, ea puto, quæ passim hodie in Italia Kal. Augusti celebrantur, vt enim festa illa in die, qua Fidicula sydus oriri incipit, Autumnusque inchoat, ad tempestates leniendas (quemadmodum scribit Plin. lib. 18. cap. 29.) instituta erant. Sic nostris temporibus prima Augusti ad excantandum & averruncandum mensis pravitatem fieri videntur. Mercur. variar. lect. lib. 1. cap. 15.

Vinum aqua miscetur, quia de latere Christi effluxit sanguis & aqua, institutum est Alex. 1. Sigiber-

tus in Chron. anno CX. teste Gratiano. Szeg. in spec. dicit Clemens 3. & Honor. 3. vinum lymphatum in Missis haberi mandarunt lib. 3. Decret. tit. 41. can. Iteras. postea dicit. aquam vino in Missa miscere ab Ethnicis desumptum, lege Plin. in 7. Alex. 3 quidam tribuunt, lege de Cons. dist. 2. can. script. in glos. can. sicut. vide C. & sine vino festa sunt veterum, Νηφάλια· vt apud Christianos magno die Paschatis panem sine vino frangunt parant. vide M.

Vino praest Vrbanus vinosorum hominum deus, per cuius nomen non sine risu dejurant inter pocula, Bacchus succedit. Buling. cap. 34. Orig. S. tamen Marcus qui colitur 25. Aprilis in Narbonensi Gallia infestior vitibus est hostis, quam olim capræ qui Baccho immolabantur.

Virginitatem Numa jubet Vestales servare, vt Papa suas. Polyd. lib. 4. cap. 14. Invent.

Virginitatis, & jejunij & castimoniæ ob religionem priscis usus fuit. Macrob. & Livius lib. 1. Amulius Rheam Sylviam neptem Vestalem legit, vt spem partus adimeret. Virgines Vestæ, Apollinis, Iunonis Argivæ, Dianæ, & Minervæ perpetua sacerdotij virginitate marcescunt Blond. Triump. Rom. lib. 1. cn var as Nonnarum nostrarum sectas, & religionem. Polyd. lib. 4. cap. 14. invent.

5. Viti morbus ita est, & Cura, mulier quædam Troffea nomine gestus inusitatos usurpabat, quando à marito suo diffidebat, & aliquid ei displicebat, simulabat enim morbum qui ipsi tunc placebat, nempe saltationem, dicebat enim se non posse non saltare, maritus autem nihil ægrius terebat, quam saltationes, ipsa igitur saltabat & cantabat, & post finitâ saltationem concidebat, & parumper se hinc inde

movebat

movebat,& tandem dormiebat,hæc omnia vt ægrè faceret marito. contigit itaque vt & aliæ mulieres ita facerent,& vna ab altera hæc addiscerent, itaque superstitio credula vulgo inde facta est, & spiritus ethnicus,qui tales morbos curaret: non diu autem abfuit, quin Christiani quoque hæc assumserunt: S Vitus hinc factus est Idolum. Paracelf. lib.1. de Morb. Invisib.

Vendelini, ex papæ doctrina, canis est in custodia. Buling. cap. 35. Orig. ant quitus autem Bonæ deæ sacer erat, quem Nubæ Æthiopum gens, & in Africa Ptoembari,regis vice habebant, & quam mirifice observãt,ex illius motu & nutu imperia,& quæ sint placita augurantes. Alex. ab Alex. lib.6. cap.3.

Vnctio extrema, Ennius. Tarquinii corpus bona fœmina lavit & vnxit lege. Herod. lib.1.& Virg.5 Æneid. Innocent. 1. & Felix. 4. vt morientes adjurato oleo vngerentur, districtius mandarunt,& ex infirmorum vnctione sacramentum fecerunt. Honor. 3. etsi multa de infirmorum cura præcepent, nihil tamen de vnctione extrema meminit. Szeg. in spec. lege Polyd. lib.5. cap.3. Invent. vbi exemplum Marci Evangelistæ.& Iacobi Apostoli Felicem,4. sequutum scribit.

Vngere oleo reges & sacerdotes à Mosaica lege est. Levit.8. Polyd. lib.5. cap.3. Invent. hunc morem Christianis dedit Sylvester Papa, teste Innocent 3. in Epist. decret. de Crismate. lege Oleum.

Vni viro duo beneficia possidere licet ex novella constitutione papæ, contra primorum Conciliorum decreta. quia cum ad morem veterum Romanorum se suaque componere semper studuerit, legit quod poterat idem & pontifex & augur esse, duobusque

simul sacerdotijs præponi nam ait Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 19. eundemque duplici sacerdotio functum sæpe animadversum est: Siquidem Q. Fab. Max. & pontificatum & auguratum vna gessit, aliique vtrique simul sacerdotio præfuêre. Galba autem sacerdotium triplex gessisse dicitur, id quod à regibus Spartanorum vsurpatum fuit, nam cum primum in eam assumpti sunt dignitatem, privilegia honoris præcipui, Iovis cælestis & Lacedæmonij sacerdotio funguntur. hic etiam habes vnum virum sibesse & divina & humana, ac nunc Papa omnium se dicit dominum.

Vniuersalis seu Oecumenicus Episcopus ab Imperatore Phoca dici impetrauit Bonif. 3. vt in omnes Episcopos prærogatiuam haberet, omniumque caput perpetuo foret. Polyd. lib. 4 cap. 9 inuent. Cum ante eum Ioannes Constantinopolitanus anno 600 in hoc operam dedisset, Platina. Sabellicus. Greg. lib. 4. epist. cap 29. & hoc ad exemplum Pontifex Maximus à Numa institutus, vel Druydũ, quibus præest vnus, qui sum nam inter eos habet authoritatẽ: hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit at si sunt plures pares suffragio Druydum adlegitur. nonnunquam etiam de principatu armis contendunt. Cæsar comment. lib. 6. ita fit in Papa eligendo vt aut armis aut electione partium & Cardinalium fiat. Constantiense concilium sibi ipsi repugnat: Statuit enim primo, Concilium esse supra Papam, quod & verum est. Secundo, damnat articulum Ioannes Huss, Papa non est jure divino super omnes ecclesias. Item contrariatur Niceno & Africano concilio, toti Orientali atque Africanæ Ecclesiæ, lege dist. 93. can. Legimus. Concilium Asticanum

fricanum contra Papæ primatum, de quo dist. 99. pugnat cum his Chalcedonense 6 pro primatu. de quo dist. 17. can. concilia. in glos. cauſ. 3. quæſt. 6. can. Dudum. cauſ. 9. quæſt 3. aliorum.

Vota priſci impetrandis á Deo concupitis emiſere, quæ vt implerent conſtantiſſime ſunt adnixi. &c. qua de re plura dicere omittemus, quia apud priſcos pariter & apud noſtros, & pari forma eſt acta. Blond. triumph. Rom. lib. 1. Et votum ſi ſemel emiſſum foret. illud denuò irritum facere non licebat. Alex. ab Alex lib. 3 cap 22. ſeruant Papani, præcipuè vbi quis induere Monachum promiſit, aut aliquid Eccleſiæ noviſſet.

Voto triplici obſtringit monachos Benedictus in Vmbria Italiæ, circiter annum 360. Vota erant paupertatis, caſtitatis, & mendicitatis. Vrbanus pontifex qui Baſilium tribus annis præceſſit in epiſtola quæ ejus nomine legitur, dicit ita vſu veniſſe, vt qui Apoſtolorum imitatores exiſterent paulatim vota facerent ſe nihil proprium habituros, quo æquè rerum cõmunitas ac Apoſtolicæ vitæ inſtitutum omni tempore vigeret: quam inviolata ſint apud Monachos iſthæc vota, alij judicent Polyd. lib. 7. cap 1 verum haud ſcio qua ratione monachi iſti debeant in mendicando ſemper hærere, quoniam ſatis conſtat Chriſtum, & Apoſtolos non exſpectaſſe ab aliis victum ociosos, ſcribente Paulo ad Corinth. & laboramus operãtes propriis manibus: ac primos monachos in Ægypto, teſte Chryſoſt, exercuiſſe ſe ſuis manibus laborando, item Franciſcus cum ſuis victum quærere manuum laboribus volut, hinc conſtat omnes debere Apoſtoli inſtitutum ſequi. Polyd. ibid. Ioann. 23. vota nihil ad perfectionem facere

dicit,& Apostolos nunquam votum paupertatis & castitatis vovisse. Szeg. in Spec. Essæi udæorum conjugio,vino,& carnibus abstinent.Paupertatis sa. cellum apud Gades ostenditur. Alex. ab Alex. lib.1. cap.13.& lib.3.cap 11. ait,apud veteres Romanos paupertas,solida laus censebatur, & vera virtus. & Essæis ex Philone vita casta & communis est,a re familiari discedunt, an hinc suam castitatem & paupertatem mutuatur monachi. lege Anachoretica n.

Vovisset si filia patre non contradicente,voto tenebatur:sin contradixisset solvebatur. Si vxor, marito tacente vel approbante,tenebatur:sin repugnaret maritus,liberabatur. Num. 30. in paupatu autem vovere omni mortali licet,& quod Ecclesiæ sive vxor,sive filius,aut filia invito marito & parentibus voluerit, solvere cogitur, nec vllus, contra omne fas, voluntas nisi volentis exspectatur: ita hodie Jesuitæ opulentissimorum hæredes circumveniunt, & ad claustra sua instructis lenociniis abducunt.

Vulgi conversationem Essæi Hebræorum fugiunt. Euseb. lib 8 Evang. præpar. ab his Carthusiani dicicerunt odium vulgus habere, vt ne alloqui etiam ad claustra admissos & intromissos dignentur homines.

FINIS.